DE
IMPERATORVM ROMANORVM
TERTII POST CHRISTVM NATVM SAECVLI
TEMPORIBVS CONSTITVENDIS

DISSERTATIO HISTORICA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XXI MENSIS FEBRVARII ANNI MDCCCLXXXXI HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

AEMILIVS SADÉE
RHENANVS

ADVERSARII ERVNT

DR. MAXIMILIANVS BLEIBTREV
ARTHVRVS KOERNICKE
IOANNES DE PROTT

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.

MDCCCLXXXXI.

MATRI CARISSIMAE

Conspectus temporum.

236 p. Chr.	Maximus Caesar fit.
238	sub in. Mart. Gordiani I et II renuntiantur.
	Mart. fere 10 agnoscuntur Romae.
	Mart. fere 25 in Africa interficiuntur.
	Apr. 1 Pupienus Balbinus Gordianus III eliguntur.
	Apr. fere 10 Maximinus Aemonam venit.
	Apr. fere 15 Aquileiam oppugnare incipit.
	Apr. ex. (25?) caeditur.
	inter Apr. 28 et Mai. 3 mors Maximini nuntiatur Romam.
	Iul. 9 Pupienus et Balbinus interficiuntur.
244	Febr.—Mart. (Febr. 13?) Gordianus III moritur.
249	Febr. Decius deficit a Philippo.
	Aug. 10 Philippus caeditur.
251	Mart. Iulius Valens rebellat.
	Iul. 27 Decius cadit.
253	primo vere Aemilianus Gothos vincit.
	Mai. rebellat.
	Iun. extr. (an 7. Iul.?) Gallus caeditur.
	Sept. extr. (an Oct. 3?) Aemilianus necatur.
257	Iun. Valerianus rescribit de Christianis.
260	Dec. Valerianus a Persis capitur.
268	vere Gallienus bellum gerit cum Gothis.
	Mai. extr. — Iun. extr. (an Mai. 30?) Gallienus necatur.
270	Mart. 12 Claudius moritur.
	Mart. 24 Claudii mors Romam nuntiatur.
275	Iul. 31 Aurelianus necatur.
	Sept. 25 Tacitus eligitur.
276	Apr. 11 Tacitus necatur.
	Iul. 7 Florianus necatur.

282 p. Chr.	Sept.—Oct. (an Sept. 18?) Probus necatur.
282—83	Carus bellum gerit cum Persis.
	summa hieme trium mensium indutias facit.
283	aestate (Iul. 22?) moritur.
284	Aug. ex. Numerianus interficitur.
	Sept. 17 Diocletianus renuntiatur.
285	autumno (Aug. 19?) Carinus apud Margum caeditur.

Quando Maximus Maximini filius Caesar factus sit.

Miror Cohen Monn. imp. IV² p. 524, 1 affirmare anno 235 Maximum Caesarem esse adsumptum, postquam Borghesi (Oeuvres III 459 seq.) suspicatus est eum ad hanc dignitatem promotum esse non ante annum 236, usus testimonio certissimo, fastis sodalium Antoninianorum C. I. L. VI 2001 lin. 17 seq. Atque cum hoc titulo ipso res satis demonstretur, tamen liceat mihi etiam alia eiusdem rei testimonia addere. Maximum non statim, cum pater imperio potiretur, Caesarem declaratum esse, sed postea, apparet ex fragmento papyri edito a Parthey, Nuove Memorie d. Inst. arch. II 440: ἐπεὶ γ[νω]στ . . . . . εὐαγγέλθαι περὶ τοῦ ἀνηγορεῦσθαι καίσαρα τὸν τοῦ θεοφιλεστάτου κυρίου ἡμῶν αὐτοκράτορος καίσαρος Γαίου Ἰουλίου Οὐήρου Μαξιμίνου εὐσεβοῦς εὐτυχοῦς σεβαστοῦ παῖδα Γάιον Ἰούλιον Οὐῆρον Μάξιμον σεβαστὸν χρὴ τιμιώτατε τὰς θέας κωμάζεσθαι.

Deinde in papyris Arsinoensibus prioris temporis, ubi Maximino tribuuntur nomina Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γάιος Ἰούλιος Οὐῆρος Μαξιμῖνος εὐσεβὴς εὐτυχὴς σεβαστός nondum apparet Maximus, cum in documentis posterioribus, in quibus Maximinus appellatur Γερμανικὸς μέγιστος vel Γερμαν. μεγ. Δακικὸς μέγιστος Σαρματικὸς μέγιστος numquam Maximus omittatur (Mitt. a. d. Pap. Rainer III 19 seq.).

Deinde nullum titulum Latinum eorum, quos anno 235 positos esse constat, repperi, in quo memoretur

Maximus; lapides certorum annorum, in quibus Maximus apparet, semper aut anno tribuniciae potestatis aut consulis titulo aut cognominibus Germanici etc. adpositis patris nomini annis 236—238 tribuuntur.

Neque desunt scriptorum testimonia.

Cap. Max. et Balb. 15, 7: *Imperarunt autem Maximus et Balbinus anno uno, cum Maximinus imperasset cum filio, ut quidam dicunt, per triennium, ut alii per biennium.* Vict. Caes. 27: *Horum imperio ad biennium per huius modi moras annus quaesitus.* Ibid.: *Quis biennium summis potitis . . . . repente Gordianus princeps fit.* Ita videtur etiam, quod legitur falso de Pupieno et Balbino: Cap. Gord. 22, 5: *cum exstinctis Maximinis Maximus etiam et Balbinus militari seditione interempti essent, qui biennio imperaverant* ad hos translatum esse a Maximino et Maximo eius filio.

De rebus a. 238 p. Chr. n. gestis.

Iam dudum multi viri docti operam dederunt rerum anno 238 p. Chr. n. gestarum temporibus accuratius definiendis; quorum rationem magnis difficultatibus laborare constat. De quibus egerunt, ut priores omittam, nostra aetate Borghesi, Oeuvr. V 486—490, quem sequitur Stobbe, Philol. XXXII 61 seqq. Loehrer, De Iulio Vero Maximino diss. Monast. 1883. Müller, De M. Antonio Gordiano diss. Monast. 1883. Seeck, Die Haloandrischen Subscriptionen und die Chronologie des Jahres 238. Mus. Rhen. XLI 161 seqq. Sommer, Die Ereignisse des Jahres 238 und ihre Chronologie Progr. Gorlitz. 1888. Sed ita non rem absolverunt, ut tota quaestio digna esse mihi videatur, quae de integro tractetur.

Fundamenta disputationis iecit Eckhel (Doctr. num. vet. VII 293 seq.), qui, cum ante eum viri docti dissen-

tirent utrum a. 237 an 238 res illae gestae essent (ut Tillemont Hist. III 484 Gordianorum imperium a. 237 tribuit) demonstravit et post a. 237 Maximinum imperavisse, cum exstarent nummi tribuniciae potestatis quartae, et ex nummis Alexandrinis ostendit ante Aug. 29 a. 238 Gordianum III solum fuisse imperatorem.

Intra hos fines Eckhel incertis et discordibus scriptorum testimoniis fere omnino spretis naturalem rerum gestarum ordinem secutus non absurde hoc modo eas disponit (295): forte initio Martii: Gordiani in Africa imperatores salutantur; circiter initio Aprilis: Maximinus castra movet; paulo post: Gordiani I et II caeduntur, Pupienus et Balbinus creantur; exeunte Aprili Maximinus ad Aquileiam advenit; forte medio Maio caeditur; exeunte circiter Iulio Pupienus et Balbinus caeduntur. Quaeritur an certius temporum ratio possit constitui. Exordiamur oportet a die quodam certo, si quis a rerum illarum scriptoribus indicetur. Atque cum soli duo auctores uberiores adsint de his rebus, Herodianus et Capitolinus, Herodianus quidem, quo est more, ne hoc quidem loco dies certos notat, a quibus possimus proficisci [1]). Restant Capitolini vitae Maximini et Maximi, Gordianorum, Pupieni et Balbini. Tradit Capit. Maxim. 16, Gordianorum I et II rebellionem senatui nuntiatum esse Iun. 26; Max. et Balb. 1, Pupienum et Balbinum Augustos creatos esse Iul. 9. Haec confusa et falsa esse apparet (cf. Schiller, Gesch. d. r. K. Z. I 787, 3). Itaque non mirum est Seeckium (l. l.) Capitolinum se prorsus neglegere profiteri. Tamen alio loco rectam viam nobis ostendit.

Cap. Gord. 23: *Sed indicium non diu imperaturi Gordiani (III) hoc fuit, quod eclipsis solis facta est, ut*

---

1) de agone Capitolino, quem affert Herod. VIII 8, 3 infra p. 17 dicendum erit.

nox crederetur, neque sine luminibus accensis quicquam agi posset. Post haec tamen voluptatibus et deliciis populus Romanus vacavit, ut ea, quae fuerant aspere gesta, mitigaret. Solis defectiones cum hoc anno fuerint duae (Oppolzer, Canon d. Finst., Denkschr. d. Wiener Ak. d. W. Math.-Naturw. Kl. 1887. LII 140.) Apr. 2 et Sept. 25, apparet hoc loco intellegi priorem. Recte hoc die initium imperii Gordiani III Pupieni Balbini definiri cognovisse mihi videtur Ranke, Weltgesch. III 405, 1. A limine concedendum est hoc testimonium per se non tanti momenti esse, ut falsum esse non possit. Nam potest Capitolinus, qua est neglegentia, hanc defectionem solis falso ad Gordianum III rettulisse, cum re vera fortasse pertineat ad Gordianos I et II; deinde si recte rettulit ad Gordianum III, tamen non necesse est sol eodem die imperii defecerit, sed possunt aliquot dies intercessisse. Itaque tum demum hac defectione solis re vera initium imperii Gordiani III indicari affirmare poterimus, si hoc initio usi bene omnes difficultates horum temporum solvere nos posse invenerimus.

Posse autem nos persuasum habeo. Ac primum quidem ad locum priorem optime quadrant verba, quae leguntur de senatu, quo electi sunt Augusti illi Cap. Max. et Balb. 1, 2: *Cum igitur . . . . Maximus et Balbinus ingressi essent curiam ac praecipue timorem Maximini adventu fronte ostenderent, referente consule de aliis rebus, qui primam sententiam erat dicturus, sic exorsus est: Minora vos sollicitant, et prope aniles res ferventissimo tempore tractamus in curia. Quid enim opus de restitutione templorum, de basilicae ornatu, de thermis Titianis, de exaedificatione amphitheatri agere, cum . . . . Gordiani duo . . . . interempti sint?* Qui haec scripsit, senatum legitimum fuisse intellexit; ita enim explicandum est, quod patres primum de rebus cotidianis et levibus agentes facit. Atqui scimus (Mommsen,

St. R. III 924) senatum legitimum habitum esse bis in mense, ineunte et medio; dies traditi sunt in Philocali fastis; ubi notatum esse invenimus Aprilis diem primum. (C. I. L. I p. 374.)

Duo haec, quae traduntur de defectione solis et de senatu optime consentiunt: Apr. 1 senatum nuntiata Gordianorum morte Pupienum et Balbinum imperatores declaravisse pono; deinde postquam plebs senatum coegit Gordianum III Caesarem duobus Augustis addere, malo omini datum esse, quod postero die sol defecit, facile intellegitur.

Tacendum non est id, quod possit mihi obici omnia acta a scriptoribus Historiae Augustae tradita suspectae esse fidei; itaque non debere respici. Ne sint genuina: ne ego quidem haec acta cum notarii fide tradita esse arbitror; multa ad speciem oratoriam expolire studuisse, multa ex ingenio, multa perverse addidisse pono eum, qui primus hanc actorum collectionem composuit aut eum, qui hac collectione usus est in Historia Augusta conscribenda; tamen omnia eum finxisse et ementitum esse non possum mihi persuadere; et in diebus adscribendis fidei historicae operam dedisse et quae vere facta sunt respexisse videtur.

Quaeritur quid faciendum sit illo loco, quo Iun. 26 Gordianos Romae imperatores salutatos esse tradit Cap. Maxim. 16: *Senatusconsultum autem hoc fuit: cum ventum esset in aedem Castorum die VI kl. Iuliarum, acceptas litteras Iunius Silanus consul ex Africa Gordiani imperatoris proconsulis recitavit.* Errorem subesse apparet; Gordianum enim ante Apr. 1 interfectum esse supra vidimus p. 9—11. Suspicari potest quispiam mensis nomen corruptum esse; genuino mensis nomine pro Iulio restituto cetera recte stare. Sed quia Gordiani ante Apr. 1 occisi sunt post aliquot dierum imperium, unum relinquitur, ut pro VI. K. Iul. scriba-

tur VI. K. Mart. Hoc autem conciliari non potest cum Iunii Silani, ut consulis suffecti nomine, pro quo commemorandus erat alter consulum ordinariorum, sive Pius sive Pontianus. cf. Borghesi, oeuvr. V 48. Contra ex ipso Silani nomine, si quid tribuimus rebus et nominibus in epistulis et actis Capitolini commemoratis, discimus quid statuamus de tempore a Capitolino tradito. Exstat apud Cap. Max. et Balb. 17 epistula Claudii Iuliani consulis, qua commemorato collega Celso Aeliano gratulatur, quod Pupienus et Balbinus Augusti electi sint. Ergo Capitolinus epistulam scriptam facit non multo post Apr. 1. Si tum consules erant Claudius Iulianus Celsus Aelianus, eos magistratu functos esse sequitur ex Mart. 1 usque ad Mai. 1 (cf. Mommsen St. R. II 86). Itaque Capitolinus sibi plane constat in eo, quod Iun. 26 consulem dicit fuisse Iunium Silanum. Quem Mai. 1 Claudio Iuliano Celso Aeliano successisse putandum est. Quare cum et consulis nomen traditum et diem Iun. 26 nullo pacto referri posse ad tempus Gordianorum a senatu salutatorum, inter se autem congruere inveniamus, censeo haec verba, quibus tempus senatus indicatur, ex alio actorum senatus loco, ad quem recte pertinebant, neglegentia sive Capitolini sive eius auctoris huc falso translata esse. Alia similis confusionis exempla apud scriptores Hist. Aug. exstare infra ostendam.

Itaque illo Capitolini loco uti non possumus ad tempus rebellionis Gordianorum constituendum. Sed cum supra p. 9–11 viderimus eorum mortem Romae innotuisse Apr. 1, deinde pro certo affirmare possimus eos 22 dies imperavisse[1]), fere Mart. 25 eos esse neca-

1) Zon. XII 17 p. 579, 21: Τὸν Γορδιανὸν . . . ἐκλελοιπέναι μόνας εἴκοσι καὶ δύο ἡμέρας ἐν ταύτῃ διαγαγόντα. Quod testimonium eo certius est, quod altero loco diverso, ut videtur, auctore usus hunc nu-

tos [1]) et sub initium Martii imperatores renuntiatos esse puto.

Ceterum aliquanto temporis, postquam Gordiani rebellaverant, eos Romae principes agnitos esse efficitur ex eo, quod Gordianus I nuntios Romam misit non antequam Carthaginem occupavisset [2]). Quodsi addimus ad navigationem iter Thysdro Carthaginem usque

---

merum tradit p. 579, 5: (Μάξιμος καὶ Ἀλβῖνος) ἐβασίλευσαν κατά τινας μὲν ἡμέρας δύο καὶ εἴκοσι, quo loco Zonaram confudisse Gordianos cum Pupieno et Balbino ostendit Borghesi oeuvr. V 485. Item Glycas p. 453, 11: Μετὰ τοῦτον (sc. Maximinum) Μάξιμος καὶ Βαλβῖνος ἡμέρας κβ'. Quod Chronogr. a. 354 (Abh. d. phil. hist. Cl. d. Sächs. Ges. I 647) habet: dies XX, videtur ortum esse vitio librarii ex diebus XXII. Quod Casaubonus pro interpolata lectione Cap. Gord. 16 fin.: *imperaverunt anno uno mensibus sex*, scripsit: '*mense uno diebus sex*', incertius est, quam quo uti possimus.

1) fortasse paulo antea. Zon. XII 17 p. 579, 18: Τὸν δὲ Γορδιανὸ τῆς Ῥώμης ἐπιβεβηκότα νοσῆσαι, τὸ μὲν ὅτι ὑπεργήρως ἦν . . . τὸ δὲ ὅτι χρονοτριβήσας ἐν τῇ θαλάσσῃ κατὰ τὸν πλοῦν πάνυ τεταλαιπώρητο, καὶ ἐκ τῆς νόσου ταύτης ἐκλελοιπέναι. cf. Zos. I 16. Gordianos non in itinere periisse constat; nescio an audacius sit haec referre ad iter nuntii longum et tempestate turbatum. De procellis, quae sub tempus aequinoctiorum maxime solent conflare in Africae litoribus cf. Tissot, Géogr. comp. d. l. prov. rom. d'Afr. I 246.

2) Herod. VII 6, 1: Γορδιανὸς ἐνδιατρίψας τῇ Θύστρῳ . . . . . ἡμερῶν τινῶν . . . . ἀπάρας τε τῆς Θύστρου ἐς τὴν Καρχηδόνα ἠπείχθη. Postquam descripsit quam solemniter procedere solitus esset, pergit 6, 3: Ὅ τε Γορδιανὸς γράμματά τε πάμπλειστα ἐκπέμπει πρὸς ἕκαστον τῶν κατὰ τὴν Ῥώμην πρωτεύειν δοκούντων τοῖς τε τῆς συγκλήτου δοκιμωτάτοις ἐπιστέλλει, ὧν ἦσαν αὐτῷ πλεῖστοι φίλοι τε καὶ συγγενεῖς. Ἐποίησε δὲ καὶ δημόσια γράμματα πρός τε τὸν Ῥωμαίων δῆμον καὶ τὴν σύγκλητον, δι' ὧν τήν τε Λιβύων ἐδήλου εἰς ἑαυτὸν σύμπνοιαν κτε. Expressis quidem verbis non dicit Herodianus has epistulas Carthagine esse missas, sed per se fit verisimile tum demum Gordianum senatui se commendavisse, cum capite Africae provinciae potitus erat. Quod dicit Capitol. Maximin. 14: *Inde (Thysdro) propere Carthaginem venit . . . unde Romam ad senatum litteras dedit* cf. similiter Gord. 9, 7, non magni momenti est, in his enim videtur eius auctor Herodianum secutus esse (cf. Boehme, Dexippi fragmenta, p. 47. diss. Jen. Lps. 1882).

conficiendum [1]) et dies nonnullos, quos post purpuram fere initio Martii sumptam Thysdri agebat [2]), nuntium eius sub Mart. X Romam pervenisse putandum est [3]).

Antequam agam de Maximini rebus extremis, primum liceat tractare mortem Pupieni et Balbini Augustorum. Supra vidimus Apr. 1 nuntiata morte Gordianorum electos esse Augustos Pupienum et Balbinum. Quando necati sint, non est traditum. Est, per quot dies imperaverint, et ita quidem, ut fide dignum esse videatur. Chron. Pasch. p. 269 A: Καὶ ἐβασίλευσεν Βαλβῖνος μῆνας γ καὶ ἐσφάγη· καὶ ἐβασίλευσεν Πούπλιος ἡμέρας ἑκατὸν καὶ ἐσφάγη. Apparet haec referenda esse ad eosdem imperatores atque altero loco accuratius altero neglegentius eorum tempus esse positum. Fere conspirat Chronogr. ann. 354 (p. 647): *dies LXXXXVIIII*, qui videtur indicare tempus accuratius; sed etiam factum esse potest, ut haec unius diei differentia redundet ex diverso computandi modo ita, ut Chronographus diem, quo occisi sunt, iis non iam adscribat, Chron. Pasch. includat in eorum imperium. Zon. XII 17. p. 579, 13:

---

1) Thysdro Carthaginem pervenire potuit duobus fere vel tribus diebus. absunt enim duae urbes milia passuum 157 (Itin. Ant. 58—59); celeriter autem Gordianum iter fecisse et consentaneum est et tradit Herodianus VII 6, 1: ἐς τὴν Καρχηδόνα ἠπείχθη (quae § 2 sequuntur de pompa eius imperatoria spectant tempus quod Carthagine agebat; non recte Capitolinus vel eius auctor haec verba rettulit ad iter ipsum, cum dicat: *inde propere Carthaginem venit cum pompa regali et protectoribus et fascibus laureatis.*

2) cf. supra Herod. VII 6, 1.

3) Liceat mihi pauca adnotare de morte Vitaliani praefecti praetorio Maximini. Si, quod equidem puto, re vera Carthagine senatui nuntios misit Gordianus, eo ipso refutatur Herodiani narratio iam aliis de causis suspecta (cf. Dändliker, Die drei letzten Bücher Herodians, Büdinger Untersuch. III 251 seq.). Nam antequam hi nuntii advenirent, certe potuit sive Hadrumeto sive Lepti sive Thapso Romam nuntiatum esse Gordianum rebellavisse; praecavisset Vitalianus neque ullos nuntios Gordiani, qui ei pro hoste habendus erat, accepisset.

Μεθ' ὃν Πούπλιον ἀντεισαχθῆναι Βαλβῖνον ἱστόρησαν· ἐπὶ τρισὶ γὰρ μησὶν αὐτῷ τὴν ἀρχὴν περιγράφουσιν. Quodsi ex Apr. 1 spatium 99 dierum progredimur, incidimus in Iul. 8—9, si 100 dierum, in Iul. 9—10. Ita computat Ranke (Welt-Gesch. III 405, 1) qui amplexus 99 dies Chronographi et profectus a solis defectione (Apr. 2) Iul. 10 diem mortis esse statuit.

Iam revertamur ad locum, quo de electione Pupieni et Balbini refert Capitolinus Max. et Balb. 1. *Interemptis in Africa Gordiano seniore cum filio . . . . senatus praetrepidus in aedem Concordiae VII Idus Iulias*[1]) *concurrit, ludis Apollinaribus.* At non tum Pupienum et Balbinum factos esse imperatores, sed Apr. 1 supra demonstravimus. Sed etiam si illa negleguntur, apparet falso ad Iulium referri imperatorum electionem; nam cum plus tres menses imperaverint, longe excederent terminum anni Alexandrini, quod scimus non esse factum. Itaque quid facilius est suspicari quam hoc loco non indicari diem imperii, sed diem mortis? a. d. VII Id. Iul. Iul. 9 optime consentit cum iis, quae supra iam invenimus, profecti a die imperii Apr. 1.

Confirmatur autem haec sententia titulo maximi momenti C. I. L. VI 2113 (Act. fratr. arv.) *ni . . . . . VI Idu . . . . te cellam Iunonis r . . . . . in III Non. Ian. quae . . . item decennalia sus . . . et incolumitate imp . . . Gordiani Pii Felicis A . . . convenerunt per ma . . .* Ex quo apparet vota pro imperio Gordiani esse suscepta a. d. VI Id . . . . ; mensis deperiit. Quod Henzen (Act. fratr. arv. p. CCXXIII) supplet: Iun., solum Haloandri subscriptionibus codicis Iustinianei nititur, quas parum certae auctoritatis esse constat (Seeck, 1. 1.), praeterea non

---

1) Recte Peterum scribere Iulias, non Iunias, ut codices MBP habent, apparet ex adpositis ludis Apollinaribus, quos actos esse Iul. 6—13 constat (Marquardt St. A. III 369 seq.).

quadrat in ea, quae de initio imperii Pupieni et Balbini demonstravimus. Si pro Iun. ponimus VII Id. Iulias, omnia recte stant; cum eo, quod Iul. 10 vota suscepta sunt, optime congruit, quod priore die Gordianus Augustus renuntiatus est [1]).

Omnibus iis, quae de morte Pupieni et Balbini disputavimus, obstare videtur testimonium gravissimum et minime neglegendum. Nam ex papyris repertis Arsinoae unius tempus hoc modo indicatur: (Mitt. a. d. Pap. Rainer III 23): Lβ αὐτοκράτορος καίσαρος Μάρκου Κλωδίου Πουπιήνου εὐσεβ. εὐτυχοῦς σεβαστοῦ καὶ αὐτοκράτορος Καίσαρος Δεκίμου Καιλίου Καλουΐνου Βαλβείνου εὐσεβοῦς εὐτυχοῦς σεβαστοῦ καὶ Μάρκου Ἀντωνίου Γορδιανοῦ τοῦ ἱερωτάτου καίσαρος Θὼθ ια Sept. 8 a. 238. Si hoc tempus recte positum est, refutantur ea, quae ego de die mortis disserui. Namque Arsinoe (nunc El-Fayum) ab Alexandria abest 40—45 fere milliaria Germanica [2]). Quod iter confici poterat cursu publico duobus vel tribus diebus; etiamsi non celeriter nuntius ferebatur, tamen plus decem dies in itinere non possunt esse consumpti. Alexandria autem Romam perveniri poterat decem fere diebus (Friedländer S. G. II[6] 31). Hoc loco fingamus dies 15. Quodsi 25 diebus nuntius mortis imperatorum Arsinoen perlatus est (quamquam altero tanto celerius perlatum esse verisimile est) advenisse debet

---

1) Sane Henzen inter diem imperii et votorum susceptorum intercedere debere intervallum 15 fere dierum censet (l. l. p. 106 seq.); ita factum esse et in Othone et Domitiano et Pertinace et Elagabalo. Tamen his quattuor exemplis non puto posse probari numquam potuisse aliter fieri; non satis multa exempla exstant, quibus lex firma possit statui.

2) via usque Arsinoen non datur in Itin. Ant.; sed ab Alexandria usque Coenen (nunc Benisuef aut Almas) iter est 220 mil. pass. cf. Itin. Ant. 154—156; quod oppidum idem fere spatium distare videtur ab Alexandria atque Arsinoe.

initio mensis Augusti, id est toto fere mense antequam hoc documentum signatum est. Itaque si recte est signatum, nostra sententia de morte Augustorum stare non potest. Sed tempus falso indicatum esse demonstrari potest. Si enim Arsinoae mors Augustorum nondum nota erat Sept. 8, ne Alexandriae quidem sub Sept. 1. eam notam fuisse concludendum est. Notam autem eam fuisse hoc tempore e nummis discimus; habemus enim nummos Alexandrinos Gordiani III Augusti signatos LA (de Sallet, Daten d. alex. Kaisermünzen 59), hoc est factos ante Aug. 29 a. 238, quoniam extremus Gordiani annus est LZ, mortuus autem est certe ante Aug. 29 a. 244. Atque, ut recte monet Seeck, cum aliquid temporis consumptum esse ponendum sit in novis Gordiani III. typis faciendis, non statim ante finem anni Alexandrini, sed quodam spatio temporis antea Gordianum Augustum agnitum esse Alexandriae apparet. Accedit, quod Seeck l. l. 165 alteram laudat papyrum Arsinoensem Gordiani III Augusti signatam Aug. 29 (quamquam tamen Seeck non addit, quo auctore usus hanc proferat). Denique argumentis tam gravibus videtur constitui Iul. 9 dies mortis Pupieni et Balbini, ut hoc uno documento non cogamur totam temporum rationem, quam illo modo bene congruere vidimus, turbare rursus et pervertere. Errasse statuendum est scribas Arsinoenses. Cuius erroris aliqua excusatio potest repeti ex turbido rerum illo anno gestarum cursu, quo anno quinque mensium spatio septem numerantur imperatores. Etiam alios errores deprehendere possumus in his papyris signandis: ut Gallieno falso tribuitur annus XVII (Mitt. Pap. Rain. III 28 fin.).

Alteram deinde difficultatem oboriri existimet quispiam ex iis, quae Herodianus de caede Pupieni et Balbini tradit; quam factam esse (Herod. VIII 8, 3) ἐπιτελουμένου — ἀγῶνος τοῦ τῶν Καπετωλίων, πάντων τε περὶ

τὴν πανήγυριν καὶ τὰς θέας ἀσχολουμένων, cum ego eos necatos esse statuerim ludis Apollinaribus. At plane nescimus non modo quo die, sed ne quo mense quidem actus sit agon Capitolinus: solum id suspicatur Friedländer (S. G. II [6] 482) eum attribui posse bono anni tempori, quo navigari potest. Praeterea minima est Herodiani in huiusce modi rebus auctoritas. Ut rarissime dies certos indicat, ita, si quos exhibet, fidem ei habere dubitare debemus. Iam videmus altero loco eum falso adferre agonem Capitolinum; Herod. I 9, 2 Perennem necatum esse tradit post agonem Capitolinum. Cogitandum est de agone acto a. 186. Atqui Perennis necatus est iam a. 185. Simile aliquid hoc quoque loco commisisse mihi videtur (quamquam re vera hoc anno agon Capitolinus actus est). Neque est mirum eum ut hominem Graeculum in hunc maxime ludum incidisse; nam ut Graecorum artibus et certaminibus praecipue erat destinatus agon Capitolinus, ita a Graecis et Orientalibus Romam ad eum confluentibus maxime celebrabatur (Friedl. S. G. II [6] 482). Accedit quod constat rerum Romae a. 238 gestarum notitia Herodianum non ita valde esse imbutum (Dändliker, l. l. 259 seq.).

De morte Maximini.

Quaestionis nostrae fundamenta certius iaci posse arbitratus sum, si primum iis, quae certis diebus a scriptoribus tribuuntur perquisitis revertamur ad ea, quae restent definienda. Nondum tractavimus tempus mortis Maximini. Quaestio eo difficilis redditur, quod dubium est, quamdiu imperaverit Maximinus. Adpono, quae diversi auctores tradunt. De locis Vict. Caes., Cap. Max. et Balb. 15, quibus Maximinis assignantur duo anni, supra egi. Zonarae (XII 16 p. 578, 10) anni sex

prorsus sunt falsi. Herod. VII 4. 1: συμπληρουμένης αὐτῷ τριετοῦς βασιλείας Gordiani rebellaverunt. Qui respexerit Herodiani in temporibus indicandis neglegentiam, intelleget non necesse esse eum hoc loco verbo premere, ut facit Seeck (l. l. p. 168). Non cogimur maiorem vim his verbis tribuere quam hanc: 'cum tertius annus fini adpropinquaret'. Annos tres accuratius tempore non addito exhibent: Aur. Vict. Epit. 25, Ioh. Antioch. fgt. 146, 11 (Müller F. H. G. IV 596), Iord. Get. 15, Eusebius-Hieron., Chron. Pasch., Cassiod., Isid. Orig. V 39. — Euseb. h. eccl. VI 28: οὐ πλείονος ἢ τριετοῦς χρόνου. Eutrop. IX 1: *occisus est cum filio adhuc puero, cum quo imperaverat triennio et paucis diebus.*

Unum quidem auctorem habemus, qui ad diem statuit tempus imperii Maximini, Chronogr. a. 354: *Maximinus imp. ann. III m. IIII d. duos.* Aperte falso. Nam Alexander Severus mortuus est Mart. 18 [1]). Si ad Mart. 18 a. 235 addis illum numerum a. III m. IIII d. II [2]), pervenis ad Iul. 19 a. 238. Hoc autem nullo pacto rectum esse posse ostendit Seeck l. l. 166. Corrigit: m. III, ita ut Maximinum mortuum esse contendat Iun. 17 a. 238 [3]). Ac primum quidem negari non

1) Seeck, l. l. 163; non recte Wirth, Quaest. Sev. 43 sibi sumit Mart. 12, adductus eo, quod 7 diebus nuntium mortis Mogontiaco Romam pervenire non potuisse putat; sed cf. Friedländer, S. G. II [6] 23. Itaque etiam mortis Elagabali diem retineo Mart. 11; quomodo explicandum sit quod Lampr. Al. 6, 2 de Alexandri honoribus senatum agentem facit Mart. 6, iam Tillemont III 475 demonstravit, qui pro '*prid. Non.*' scribere proponit *prid. Id.* (Mart. 14).

2) in quo non necesse est, ut facit Seeck, proficisci a die, quo a militibus Maximinus renuntiatus est; plerumque apud Chronographum imperia computantur a die mortis alterius usque ad alterius diem mortis.

3) Iun. 17, non Iun. 19 ponit, quia Romano modo menses et dies apud Chronographum traditos computandos esse censet: a. d. XVI K. Apr. (Mart. 17, cf. supra) usque ad a. d. XV K. Iul. (Iun. 17). Necessarium hoc esse nego; constat enim Graecos, ut Cassium Dionem,

potest eiusmodi corruptelas, ut una linea plus posita sit, inveniri in Chronographi indice imperatorum. Itaque palaeographica ratio non impedit, quominus Seeckii mutatio recte stet. Tamen aliis argumentis probatur prius Maximinum mortuum esse quam Iun. 17 a. 238. Omitto quod Eusebius habet: οὐ πλείονος ἢ τριετοῦς χρόνου, nam Eusebii tempora non ita accurate sunt posita. Gravius videtur esse, quod Eutropius, qui in temporibus notandis melioris auctoritatis est, dicit: *triennio et paucis diebus.* Paucos dies autem intellegi posse tres menses non videtur probabile esse. Sed maxime contra Seeckium facere videtur ipsarum rerum gestarum ratio. Certe cum iis, quae supra ostendere conatus sum, Pupienum et Balbinum mortuos esse Iul. 9, non potest conciliari illa sententia. Finge modo, quae facta sint interea: morte Maximini Ravennam nuntiata Pupienum Aquileiam esse profectum, deditionem exercitus Maximini accepisse, revertisse quasi triumphantem per Italiam, deinde aliquot dies imperavisse cum collega, antequam necaretur! Omnia haec 23 dierum spatio fieri non potuerunt. Sed etiam, si non respicimus ad ea,

---

saepe eodem quo nos modo dierum rationem instituisse (ex. gr. cf. Dio. LXXVI 17: αὐτὸν (Sept. Sev.) ἡ νόσος τῇ τετάρτῃ τοῦ Φεβρουαρίου ἀπήνεγκεν . . . . . τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ Ἀπριλλίου ἐγεγέννητο). Ne rectum quidem est; nam cum plerumque apud Chronographum discerni non possit, quo modo usus sit, quia aut numeri sunt corrupti aut et hoc et illo modo idem efficitur, tamen plus semel deprehendere possumus, eum certe Romanum modum non secutum esse. Ut Caesari tribuuntur a. III m. VII d. VI, ex Aug. 9 a. 48 ad Mart. 15 a. 44 (de die initii cf. p. 651, 24). Eum, quem Seeck vult, modum secuti inter hos fines interesse invenimus dies 5 (a. d. V. Id. Aug. — Id. Mart.). In Vitellio legitur m. VIII d. XI, quod apparet ortum esse ex m. VIII d. VI (cf. infra p. 24) quod tempus currit ex Apr. 16 (cf. Clinton F. R. a. 69) usque ad Dec. 21 a. 69. Si Seeckii ratione computatum esset ex a. d. XVI K. Mai. ad a. d. XII K. Ian., scripsisset Chronographus menses VIII dies V.

quae supra statuimus, ne nostrae causae studio occaecati esse videamur, tamen refutari potest Seeckii opinio. Qui cum Maximinum non ante Iun. 17 occisum esse fingat, facere non potest quin obsidioni Aquileiae urbis tempus plus menstruum tribuat, quamquam advenisse Maximinum ad Aquileiam non ante mensem Maium ponit. Non brevius, sed vel diutius fuisse obsidionis tempus, concludere posse sibi videtur ex his verbis Herod. VIII 6, 4: (Ἀκυλήσιοι post Max. mortem προύθεσαν ἀγορὰν . . .) Ὅθεν καὶ μᾶλλον ἐξεπλάγη ὁ στρατός, συνεὶς ὅτι τοῖς μὲν πάντα αὐτάρκη ἦν, εἰ καὶ ἐπὶ πλέον πολιορκοῖντο, αὐτοὶ δὲ ἐν σπάνει πάντων τῶν ἐπιτηδείων θᾶττον ἂν διεφθάρησαν ἢ εἷλον πάντα ἔχουσαν πόλιν. Sed puto etiamsi non diuturna erat oppugnatio, tamen potuisse urbis opulentia et abundantia alimentorum, quae etiam, si opus fuisset, obsidioni diuturnae suffecissent, exercitum fame oppressum mirari. Ego sequor Tillemont III 488, qui sentit urbem oppugnatam esse non plus 'quinze jours ou trois semaines'. Considerandum enim est ante omnia iam in itinere Maximini milites alimentorum inopia laboravisse Herod. VII 8, 11: ἐξ αὐτοσχεδίου καὶ ἐπειγούσης ὑπηρεσίας τὰ χρειώδη τῷ στρατῷ ἠθροίζετο. ibid. VIII 1, 5 Aemonae ὁ στρατὸς ἤχθετο εὐθὺς ἐν ἀρχῇ λιμοῦ πειρώμενος· cum ad Aquileiam castra fecissent, eos undique et a mari et a terra commeatu esse interclusos (Herod. VIII 5, 4—5) in qua rerum conditione exercitum multorum milium militum in diuturna perseverare potuisse obsidione incredibile est. Accedit, quod ea, quae Herodianus rerum apud Aquileiam gestarum auctor locupletissimus (Dändliker l. l. p. 270—277), tradit, non pertinent ad longam obsidionem, sed significant continenter esse pugnatum, incursiones semel atque iterum esse tentatas, nihil non fecisse Maximinum, quo celerius urbem caperet (Herod. VIII 5, 1—2; vide imprimis vocem: μάχη, qua oppugnationem designat). Itaque cum

concludam quo vehementius, eo brevius esse pugnatum, non probanda mihi videtur Seeckii opinio.

Gordianorum interitum Romam nuntiatum esse sensimus Apr. 1. Iam antequam Italiae fines intravisset, Maximinum comperisse mortem Gordianorum et electionem Pupieni et Balbini colligitur ex Cap. Maxim. 20, 7 seq. *Et recreatus quidem imperator fuerat Maximinus audita morte Gordiani atque eius filii Capeliani victoria. Verum ubi aliud senatus consultum accepit, quo Maximus et Balbinus et Gordianus imperatores appellati sunt, intellexit senatus odia esse perpetua et se vere hostem omnium iudicio haberi. Acrior denique Italiam ingressus est. Ubi cum comperisset Maximum contra se missum, vehementius saeviens quadrato agmine Hemonam venit.* cf. Stobbe, l. l. 63. Quod fuerit necesse est nonnullis diebus post Apr. 1 (in quo hoc quoque considerandum est nuntios rerum Romae gestarum ad hostem certe non eadem celeritate perlatos esse quam temporibus tranquillis habere solebant; cf. Herod. VIII 5, 5 de viis interclusis ὡς ἄγνωστα καὶ ἄπυστα εἶναι Μαξιμίνῳ τὰ ἐν Ῥώμῃ πραττόμενα).

Si Aemonam eum pervenisse suspicaris Apr. fere 10, deinde si computas tempus in itinere Aemona ad Aquileiam faciendo (m. p. 76 It. Anton. 128—129), in Sontio fluvio transeundo, in Aquileia urbe oppugnanda consumptum, sequitur eum necatum esse non posse ante extremum mensem Aprilem.

Iam de die nuntii mortis Romam adlati haec tradit Cap. Maxim. 25, 3: *Et forte dies ludorum erat, cum subito sedente Balbino et Gordiano theatrum nuntius ingressus est.* Respiciendum est qui ludi cadant in tempus, de quo cogitandum esse modo vidimus (ludos ordinarios significari puto propterea, quod tempore illo periculosissimo ludos extra ordinem actos esse non probabile est). Tempore ludorum Cerialium, qui agebantur

ex Apr. 12—19 nondum res apud Aquileiam gestae esse poterant; neque Maio alii ludi agebantur post ludos Florales (Apr. 28—Mai. 3). Quos spectare Capitolinum puto. Quodsi ita est, nuntium venisse statuendum est inter Apr. 28 et Mai. 3; atque si Capitolinum, qui haec: *theatrum nuntius ingressus est,* verbo premimus, respiciendi sunt primi ludorum dies, quibus mimos agi solitos esse constat, cf. Marqu. St. V. III 363, 11.

Quot diebus ante illum nuntium adlatum Maximinus interfectus sit, discendum est ex loco Cap. Maxim. 25: *Interest scire, quale senatus consultum fuerit vel qui dies urbis, cum est nuntiatus interemptus Maximinus: iam primum is, qui ex Aquileiensi Romam missus fuerat, tanto impetu mutatis animalibus cucurrit, ut quarta die Romam veniret, cum apud Ravennam Maximum reliquisset.* Quamquam sentire aliquis potest hoc loco non iter Aquileia usque Romam, sed Ravenna usque Romam factum designari, cum sententiam: *cum — reliquisset* ita intellegat, ut significet tempus, ex quo dies illi quattuor computentur; tamen potius existimo Capitolinum de toto itinere Aquileia Romam facto agere, neque aliud sibi velle sententiam illam nisi nuntios ita profectos esse Aquileia Romam, ut Ravennam percurrerent. Nam etiam ex iis, quae Herod. VIII 6, 5 tradit, apparet eosdem equites Aquileia iter Romam perrexisse; deinde quarto die Ravenna Romam pervenire non insolitum erat; ex eo, quod illorum nuntiorum celeritas mira et memorabilis visa est, efficitur agi de toto itinere Aquileia usque Romam facto; (de spatio percurrendo cf. Friedländer S. G. II [6] 23).

Itaque si Maximini mors Apr. 28 vel diebus proximis Romae innotuit, interfectus est non ante Apr. 25. Quod si ita est, in imperio egit a. III m. I dies VIII vel paulo plures. Quod habet Chronogr. a. 354: a. III m. IIII d. II non tam abhorret, ut primo aspectu videtur

Quod ut appareat, liceat mihi rem paulo altius repetere. Inter omnes constat Chronographi a. 354 indicis imperatorum permultos numeros esse corruptos. Saepe factum est, ut una vel duae lineae falso adderentur, ut lineae vel numeri omitterentur, ut scriberetur V pro X [1]), X pro V, V pro I [2]). Sed restant complures loci, quibus neque hoc modo mederi possimus et aliud auxilium ostendatur. *Vespasianus ann. XII m. VIII d. XXVIII, Titus m. VIII d. XII.* Mommsen ostendit m. VIII d. XII e Galbae in Titi locum transpositum esse. Iam vides rectum Titi numerum desiderari, Vespasiano numerum absurdum tribui. Qui debebat habere: a. IX m. XI d. XXIII vel a. X minus d. VIII (cf. Clinton F. R. a. 79). Res clara est, si, ut Galbae numerus in Titi inlatus est, ita Vespasiani tempori Titi numerum insertum esse statuimus. Ex Vespasiani numero: X II VIII XX VIII enu-

1) Ita explico numeros Nervae: a. V m. IIII d. I; V ortum esse ex X, deinde annorum et dierum numeros transmutatos esse (X IIII I pro I IIII X) puto.

2) Ut in Elagabalo: a. VI m. VIII d. XVIII pro a. II etc. Quod Seeck l. l. 162 sentit Chronographi numerum referendum esse ad a. III m. VIII d. XXVII, refutat Rubensohn, Hermes XXV 344 seq. Cuius argumentis addo hoc. Seeckii sententia in eo posita est, ut Elagabali imperium computet ex Mai. 16 a. 218, quo die eum defecisse existimat a Macrino, usque ad diem mortis, Mart. 11 a. 222; quae sententia concidit, si, quod equidem persuasum habeo, recte Wirth, Quaest. Sev. 40 Elagabalum non Mai. 16, sed Apr. 16. a. 218 rebellavisse disputavit. Multo simplicius autem res explicari potest, si ann. VI corruptum esse statuimus ex ann. II. Cum enim Seeckii computandi rationem (a. III m. IX d. XXVII) apud neminem veterum inveniamus, id, quod ego pono ann. II m. VIII d. XVIII nihil aliud est, nisi quod complures auctores praebent, qui Elagabali imperium computant inde ab adventu Romam. Eutr. VIII 22: *biennioque post et octo mensibus.* Vict. Epit. 23: *biennio et mensibus octo.* Lampr. Elag. 34: *Prope triennio.* cf. Clinton, F. R. a. 222. Utrum m. VIII d. XVIII an m. VIII d. XXVIII rectum sit non diudico; si XVIII, Romam Elagabalus ingressus est Iun. 22 a. 219, si XXVIII, Iun. 12 a. 219 (itaque non Iul. ineunte, ut voluit Wirth, l. l. 16).

cleo: II VIII XX. Sane solet Tito tribui tempus a. II m. II d. XX; sed a. II m. VIII d. XX habent etiam Eutrop. VII 22, Anecd. Par. II 396, 12, a. II m. VIII Ioa. Antioch. fgt. 105 (Müller FHG IV 579), annos II menses fere novem Vict. Caes. 10, 5; quamquam non potest cognosci, quo computandi modo hi auctores utantur; nisi forte, ut suspicatur Müller l. l. mensium numerus ortus est apud scriptorem Graecum litteris β′ et η′ errore permutatis. Relinquitur Vespasiano: a. X d. VIII, pro a. X minus d. VIII. Non inauditum esse in temporibus indicandis omitti signum, quale est 'minus', quod desiderari aliquid temporis significat, elucet ex eo, quod Cedrenus I p. 380 Bonn. tribuit Vespasiano: ἔτη δέκα ἡμέρας η′.

Fortasse eodem modo apud M. Aurelium, in quo legitur: a. XVIII (pro XVIIII) m. XI d. XIIII, cum debeat esse: a. XVIIII d. XI, corruptela ita orta est, ut dies XIIII ex Commodi loco inreperent, quo nunc non recte legitur d. XII, M. Aurelii autem dies XI in mensium locum removerentur.

Alius generis transmutationis, qua non duorum imperatorum numeri alter alteri subiecti confusi sunt, sed qua in eadem linea eiusdem imperatoris anni menses dies mixti et turbati sunt, exempla sunt haec: Getae Chronographus tribuit: m. X d. XII. Quod rectum esse non potest. Nam Septimius Severus e vita exiit Febr. 4 a. 211, Geta autem secundum Dio. LVII 4 mortuus est a. XXII m. IX natus; id est, si hunc numerum accuratum esse ponimus, Febr. 26 a. 212 (dies natalis Getae est Mai. 27, cf. Spart. Geta 3) certe autem non multo antea. Chronographi autem numerum secuti incideremus in finem Dec. a. 211; quod rectum esse nequit, cum Getam annum 212 vidisse certo sciamus. Itaque ego puto omissum esse apud Chronographum annum unum, deinde X XII falso scriptum esse pro

diebus XXII; quomodo dies mortis statuitur Febr. 25 a. 212. Pono igitur Dionem aut numerum non exactum dedisse aut eius auctorem Romano more vitam computavisse ex a. d. VI K. Iun. usque ad a. d. VI K. Mart., qui dies a. 212 erat Febr. 25; aut denique potest Dio accurate menses novem designans diem mortis statuere Febr. 26, apud Chronographum autem praeter illam corruptelam, de qua egi, etiam ea latere, ut XII factum sit ex XIII.

In Macrino legitur a. I m. IIII d. II. Atqui imperavit ex Apr. 11 a. 217 — Iun. 8 a. 218 (cf. Clinton F. R. a. 217 et 218). Itaque Dio ei tribuit a. I m. II minus d. III. Pro diebus III potest quis ponere IIII, si Macrini imperii ultimum diem computat Iun. 7 a. 218, die proelii iam Elagabalo adscripto. Facile autem ex a. I m. II minus d. IIII oriri potest: a. I m. II d. IIII (cf. p. 25 de Vespasiano). Ex hoc numero I II IIII puto factum esse I IIII II.

Eadem res potest accidisse in Hadriano. Veteres Hadriani imperium computant inde a die, quo nuntium mortis Traiani accepit (Aug. 11 a. 117, cf. Spart. Hadr. 4) usque ad propriam mortem, id est ex Aug. 11 a. 117 — Iul. 10 a. 138, quo efficitur tempus a. XX m. XI (Spart. Hadr. 25. 26) vel a. XX m. X d. XXIX (Eutr. VIII 7). Potest computari etiam a die mortis Traiani. Qui dies incertus est. Sed certum est fuisse qui Traiani a. XVIIII m. VI d. XV (de quo numero omnes fere consentiunt, cf. Clinton F. R. a. 117) desinentes facerent Aug. 8 a. 117, cum inciperent non Ian. 27, sed Ian. 25 a. 98, cui diei tribuit Nervae mortem chron. Pasch. p. 251 B; eundem diem statuit Eutropius, quippe qui Nervam imperavisse tradat a. I m. IIII dies octo, non decem (Eutr. VIII 1). Si Hadriani tempus computatur ex Aug. 8 a. 117 usque ad Iul. 10 a. 138, evadunt: a. XX m. XI d. III. Apud Chronographum legimus a. XX m. X d. IIII. Quam fa-

cile linea I ex mensium in dierum locum mota ortum esse possit hoc ex illo apparet.

In Maximino simile aliquid potuisse accidere conicio. Facile potuit fieri, ut pro m. I d. VIII scriberetur: I IIIII atque hi numeri ita seiungerentur: IIII II. Quod si ponitur, mortis dies est Apr. 25.

Ad finem quaestionis reservavi titulum C. I. L. III 4820. *B. F. cos. leg.* | *II Ital. p. f. Aug.* | *n. ut vovit ded.* | *Pio et Pontiano cos.* | *VIII Kal. Iulias.* Mommsen adnotat in indice (p. 1118): 'Gordianum intellegi, non Maximum et Balbinum ex singulari colligitur'. Quod si rectum esset, iam ante Iun. 23 anni 238 Augustus fuisset Gordianus. Alii cogitaverunt de Maximino. Sed argumentis satis gravibus demonstravisse mihi videor, Iun. 23 Pupienum et Balbinum imperavisse. Relinquitur, ut alterum duorum Augustorum intellegi suspicemur. Atque inter Pupienum et Balbinum potestates ita divisas esse, ut omnes omnino res bellicae ad Pupienum, civiles ad Balbinum deferrentur, putaverit quispiam significare Cap. Max. et Balb. 2, 5: *faciendi sunt principes, unus qui res domesticas, alter qui bellicas curet, unus qui in urbe resideat, alter qui obviam cum exercitu latronibus pergat.* Quamquam alii Capitol. loci contra facere videntur; ibid. 8, 1: *decretis ergo omnibus imperatoriis honoribus atque insignibus, percepta tribunicia potestate, iure proconsulari, pontificatu maximo, patris etiam patriae nomine inierunt imperium.* ibid. 17, 2: *gratulatus . . denique legionibus ipsis et auxiliis, quae ubique terrarum iam vultus vestros adorant, quod deposito dedecore pristino nunc in vestro nomine dignam Romani principatus speciem receperunt.* ibid. 13, 5: *Et cum iam paratum esset, ut contra Parthos Maximus proficisceretur, Balbinus contra Germanos.*

Ceterum inscriptionis forma insolita est; nusquam quidem alibi, quantum equidem video, in titulis legio

appellatur 'Augusti nostri'; imperatoris nomen aut adiectivo exprimitur, ex. gr.: *legio II Italica pia fidelis Antoniniana C. I. L. III 4862,* aut, si nomen imperatoris supra iam dictum est, Genetivo pronominis demonstrativi posito, ut C. I. L. VIII 2671: *leg. III Aug. p. v. eorum* (praecedunt nomina Septimii Severi, Caracallae, Iuliae Domnae).

Quo tempore mortuus sit Gordianus III.

Constat Gordianum III mortuum esse a. 244, anno sexto imperii non expleto; nam Iul. 23 iam advenisse Philippum Romam discimus ex titulo C. I. L. VI 793 (cf. Borghesi, Oeuvr. IV 282). Accuratius definire tempus Gordiani mortis conatus est Clinton, F. R. a. 244. Ponit eam ante Mart. 14, quo die prima Philippi lex codicis Iustinianei signata est (cod. Iust. III 42, 6). In postremae autem Gordiani legis (cod. Iust. VI 20, 6) subscriptione VII Kal. Maias corruptum esse ex VII Kal. Martias, ita ut mors Gordiani cadat inter Febr. 23 et Mart. 14. Quam Clintonis sententiam sequitur Müller (de M. Antonio Gordiano diss. Münst. 1883 9, 4). Atque cum primae legis Philippi subscriptio inveniatur non solum apud Haloandrum, sed etiam in codicibus P L (cf. Krüger, Cod. Iust. 1872/77 praef. p. V seq.), re vera ante hunc diem Gordianum mortuum esse concedo (de subscriptionibus cod. Iust. cf. Seeck, l. l. 161 seq.). Alterius autem legis subscriptio a solo Haloandro exhibita ulla fide destituta est. Auxilio nobis venit titulus C. I. Gr. 5006: Τὸ προςκύνημ[α Ἀνου]βᾶς ἱερέως γόμου καὶ τῶν [τ]έκνων καὶ τῆς συμβιώσεως καὶ τῶν σὺν αὐτ[ῷ] ἀπὸ τοῦ γόμου γενόμενος τοῦ ἑβδόμου ἔτους Γορδιανὲ ζ. τὰ ἀνα-[λω]θέντα ὑπ᾽ ἐμοῦ ὑπὲρ τῆς ἀρχιερε[ω]σύνης [ι]ε χ(ρυσᾶ) ὀνόματος Πουρσεπμου[ν]έως χάριν ἐπ᾽ ἀ[γ]α[θ]ῷ. Lζ Αντωνίου Γορδιανέ (sic) Φαμε[ν]ὼ[θ] ᾱ. [Ἤλ]κυσε λίθ[ο]υς .... inventus

loco Nubiae, cui nomen erat Parembole, nunc est Debout. Ex quo Gordianum Mart. 1 (Phamenoth α) etiam imperatorem habitum esse apparet. Atque cum occisus sit apud Circesium (cf. Cap. Gord. 34 Amm. Marc. XXIII 5, 7 Eutr. IX 2: *miles ei tumulum XX miliario a Circesio . . . aedificavit)* mors autem 15—20 fere diebus Parembolen nuntiata esse possit, occisus esse potest fere inde a Febr. 10.

Quo die vita decesserit difficile est investigare. Nam ad diem imperii eius tempus traditur a solo Chronographo a. 354, ab hoc autem certe corrupte: p. 647: *a. V m. V. d. V.* Si enim exordium capimus a Iul. 9, incidimus in mensem Decembrem anni 243; quamquam annum 244 Gordianum assecutum esse scimus. Cum autem supra viderimus eum mortuum esse inter Febr. fere 10 et Mart. 14, pro: mens V scribendum est: menses VII aut VIII. Dierum numerus rectus esse potest. Itaque fortasse Gordianus III mortuus est aut Febr. 13 aut Mart. 13. Argumentis autem, quae infra (p. 32.) exponam, commoveor, ut Febr. 13 statuam.

De Philippi et Decii temporibus.

Stobbe (Philol. XXXII 66) Philippum mortuum esse censet inter Sept. 1 (nam exstare nummos Alexandrinos LZ) et Oct. 16, quo die signata est prima lex Philippi (cod. Iust. X 16, 3). Cuius legis subscriptio cum Contii auctoritate nitatur, diem recte traditum esse puto. De altero die Stobbii aliter sentio. Nummi Alexandrini LZ cusi sunt sub Aug. 29 a. 249. Tamen Philippus ante hunc diem mortuus esse videtur, quamquam apparet ex eo, quod septimi anni nummi exstant, non multo antea eum supremum diem obiisse. Omnino haec cohaerent cum quaestione de Decii imperio ha-

benda. Nam cum Decii nummi anni tertii non exsistant, Galli annum primum autem ex Aug. 29 a. 250 usque ad Aug. 29 a. 251 computandum esse in sequentibus demonstraturus sim (cf. p. 41), Decium necatum esse apparet ante Aug. 29 a. 251; atque cum mortem Decii et imperium Galli ex Moesia Alexandriam non minus 10 diebus nuntiatum esse poni possit, non post Aug. 19 a. 251 Decius potest occisus esse. Imperavit autem annum unum menses 11 et dies nonnullos. Dat Chronogr. a. 354 (p. 647) *a. I m. XI d. XVIII.* Annum et menses recte tradi, confirmatur a Nicephor chron. compend. p. 748. Bonn. Δέκιος ἔτος ἓν μῆνας ια' ἐσφάγη ἐν τῷ φόρῳ. Etiam hi auctores non dissentiunt: Eutrop. IX 4: *Cum biennio ipse et filius imperassent, uterque in barbarico interfecti sunt.* Vict. Caes. 29: *Decii barbaros trans Danubium persectantes Bruti* (Gruter: *Abruti*) *fraude cecidere, exacto regni biennio.* Euseb. h. eccl. VII 1: Δέκιον οὐδ' ὅλον ἐπικρατήσαντα δυοῖν ἐτοῖν χρόνον αὐτίκα τε ἅμα τοῖς παισὶ κατασφαγέντα Γάλλος διαδέχεται. Zonar. XII 20. p. 589, 2: Δέκιος οὐδὲ δύο ὅλους ἐνιαυτοὺς ἐπὶ τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀνύσας ἀρχῇ αἴσχιστα διεφθάρη. Chronogr. synt. (Euseb. ed. Schöne I 101): Δέκιος ἔτη β. Syncell. p. 683 Bonn. ann. mund. 5744: Ῥωμαίων εἰκοστὸς τέταρτος ἐβασίλευσε Δέκιος ἔτη β. cf. ib. ann. 5743 Cedren. I p. 453 Δέκιος ἐβασίλευσεν ἔτη β. Glyc. p. 454 Μετὰ τοῦτον Δέκιος ἔτη β. Omnes hi dant tempus, quod re vera explevit in imperio Decius, non annos tribuniciae potestatis; quos numerat Orosius VII 21: *Decius invasit imperium tenuitque annis tribus* [1]. Itaque cum non post Aug. 19 a. 251

1) Quod habet Hieronymus et Eusebii versio Armenia: *Romanorum regnavit Decius annum I mens. III*, nullo pacto rectum esse potest. Neque aliter videtur posse explicari nisi scripturae mendo statuto, ita ut ortum sit ex a. I m. XI. De die Oct. 25 a. 251 (Treb. Poll. Valer. 5, 4), quo nisus Clinton Decio tribuit annos 2 mens. 2, infra agam; p. 36.

mortuus esse possit Decius, imperaverit autem ann. I mens XI dies nonnullos (num numerus dierum Chronographi ann. 354 exactus sit nescimus), non multo post Sept. 1 potest rerum potitus esse, potest antea, tamen non multo antea, quoniam diu ante Aug. 29 a. 249 Philippus mortuus esse non potest (cf. supra p. 29).

Iam quaeritur num possint dies definiri. Difficile quidem est. Nam etiam Gordiani mortis diem non certe demonstratum esse vidimus. Deinde a limine incertum est, num tempora imperiorum Philippi et Decii recte tradita sint a Chronographo. Philippo dant ceteri auctores aut annos V aut annos VII; illo indicatur, quot annos expleverit, hoc, quot annis Alexandrinis imperaverit (cf. Borghesi, Oeuvr. IV 282 seq.) Chronogr. a. 354 (p. 647) haec: *ann. V mens. V dies XXVIIII.* Cui patrocinari videtur Zonar. XII 19. p. 584, 21: Φίλιππος ἐβασίλευσε δὲ κατὰ μέν τινας πέντε ἐνιαυτούς, καθ' ἑτέρους δὲ ἕξ ἐπὶ τοσούτοις μησίν. Annorum numerus est falsus; dubium est, utrum rectum tradat mensem, ita ut significet a. 5 m. 6, an et annorum et mensium numerus sit falsus et hoc unum ex his eruendum sit, annorum et mensium numerum aequum esse (a. 5 m. 5). Certum autem est utrumque quadrare in Chronographi numeros: a. V m. V d. XXVIIII; quod epitomator potuit exprimere et: a. 5 m. 6 (quod ad sententiam quidem melius erat) et: a. 5 m. 5 [1]).

Ita verisimile est Chronographi menses V rectos esse, fieri potest, ut dies XXVIIII recti sint. Ponamus eius numeros esse rectos, ponamus nos recte mortem

1) dierum numerum, quamquam dimidio mense multo maior est, posse a talibus scriptoribus omitti, vides in imperatore Tacito, cui m. 6 assignant Vopisc. Tac. 14, 5 Euseb.-Hieron. Ioh. Antioch. fgt. 157 Niceph. p. 749 Syncell. p. 722 Eutrop. IX 16; cum imperaverit dies 200, sec. Vict. Caes. 36 Epit. 36.

Gordiani III tribuisse diei Febr. 13 a. 244: si ab hoc die profecti rationem temporis subducimus, imperium Philippi exiisse invenimus Aug. 10 a. 249.

Dicat quispiam hunc numerum refutari nummis Alexandrinis anni septimi. Non puto. Namque cum Philippus occisus sit Veronae (Eutrop. IX 3 Vict. Caes. 28, alii), nuntius Romam pervenire non potuit ante diem quartum; deinde Roma Alexandriam diebus fere decem, ita ut multis diebus ante novum annum mors Philippi Alexandriae nota esse non potuerit, potuerit nonnullis diebus postea. Certe autem, quo tempore advenit, nummi anni septimi iam poterant signati esse.

Iam procedamus. Decium interfectum esse non post Aug. 19 a. 251 supra (p. 30) vidimus. Atque cum, quod praebet Chronographus, a. I m. XI d. XVIII, si numeratur ex Aug. 10 a. 249, finiatur Iul. 27 a. 251, quod tempus est aptissimum, recte non solum annos et menses, sed etiam dies Decii Chronographum tradere puto. Itaque res ita se habet: per se neque dies mortis Gordiani neque Philippi neque Decii certe potest statui, cum numeri Chronographi incertae fidei sint; cum autem experimento facto inveniamus numeros traditos, si modo apud Gordianum pro m. V scribamus m. VII, bene quadrare ad eam rationem, quam aliunde possumus constituere, equidem non dubito rectos esse hos numeros contendere. Hanc igitur temporum rationem constituo:

Gordiamus III	moritur	Febr.	13	a.	244
Philippus	„	Aug.	10	a.	249
Decius	„	Iul.	27	a.	251.

Quoniam ostendere conatus sum quando rerum potitus sit et quamdiu imperaverit Decius, iam pauca alia adferam, quae eius temporibus gesta accuratius me posse definire puto.

Quo tempore Decius a Philippo defecerit.

Ac primum quidem Decium a Philippo defecisse a. 248 contendit Mommsen (Bull. dell' Inst. arch. 1865 p. 27 seq.) propterea, quod inveniuntur tituli, quibus tribuitur Decio tribunicia potestas IV, aut in quibus coniungitur trib. pot. III cum cos. II. Sed tituli, in quibus legitur trib. pot. III cos. II: C. I. L. V 2068 XII 2 (trib. pot. III cos. II) XI 3088 (trib. pot. III cos. II design. III) videntur posse etiam ita explicari, ut referantur ad tempus inde a Dec. 10 a. 250 — Ian. 1 a. 251, quo tempore Decius erat trib. pot. III. Obici potest Decii temporibus annos tribuniciae potestatis non initium cepisse a Dec. 10, sed Ian. 1, quia ita computatur in diplomate militari LVI A. (C. I. L. III p. 898). Sed equidem puto, etiamsi in hoc documento anni ab Ian. 1 numerantur, tamen potuisse in aliis titulis solitum modum annorum computandorum esse conservatum, qui etiam temporibus sequentibus deprehenditur: sub Gallo C. I. L. XI 1928 trib. pot. II cos. design. [II]; cum Gallus cos. II processerit a. 252, titulus positus est inter Dec. 10 a. 251 et Ian. 1 a. 252; sub Valeriano in titulis C. I. L. II 4691 XI 2914 trib. pot. III cos. II = 254 post Dec. 10 VIII 1124 trib. pot. V cos. III = 256 p. Dec. 10, in nummis Cohen V Nr. 158—159 trib. pot. II cos. = 253 p. Dec. 10 Nr. 160 trib. pot. III cos. II = 254 p. Dec. 10 Nr. 165 trib. pot. V cos. III = 255 p. Dec. 10 [1]); sub Gallieno in titulis C. I. L. VIII 1487 trib. pot. X imp. X cos. IIII design. V = 261 p. Dec. 10 X 4784 trib. pot. XIIII cos. [VI] des. VII =

1) Quos nummos Cohen falsam signaturam exhibere putat; sed omnes alii Valeriani nummi recte signati sunt (ib., No. 156—157, 161—164, 166—170).

265 p. Dec. 10 [1]), in nummis Cohen V Nr. 836—837 trib. pot. X cos. IIII = 261 p. Dec. 10 Nr. 839 trib. pot. XII cos. V = 263 p. Dec. 10 [2]). Videmus pluribus exemplis, quam ut possint explicari errore lapidariorum vel monetariorum, probari etiam postea Dec. 10 initium anni tribunicii esse habitum. Itaque facile puto hoc modo explicari posse illas Decii inscriptiones, in quibus apparet trib. pot. III cos. II.

Quod autem in duobus titulis Hispanicis (C. I. L. II 4957 et 4958 legitur trib. p. IIII cos. III), falsum esse mihi videtur; neque huius modi errores, praesertim in Hispania, inauditi sunt; ut Maximino tribuitur in multis titulis milliariorum trib. pot. V et VI (cf. indicem imperatorum C. I. L. II), quamquam extremus eius annus est quartus (238).

Ut autem non acquiescam in Mommsenii sententia, praecipue fit eo, quod Vict. Epit. 29 tradit: *Decius . . . imperavit menses triginta.* Quod cum non congruat cum tempore, quod praeteriit ex Philippi morte usque ad Decii mortem, mihi verisimile videtur esse hoc loco significari tempus, quod ex defectione Decii usque ad eius mortem actum est. Quod si ita est, Decius defecit a Philippo mense Februario anni 249.

Mense Maio eum iam imperatorem renuntiatum fuisse sequitur ex inscriptione C. I. L. III 4558 posita

---

1) Non recte signati sunt Gallieni tituli hi: C. I. L. II 2200 trib. pot. IIII (256) cos. III (257) C. I. L. X 8028 Valerianus: trib. pot. cos. III Gallienus: trib. pot. cos. III (257) proc. IIII. In quibus patris titulos, qui 256 erat cos. III, in filium translatos esse apparet. Falso idem consulatus atque tribuniciae potestatis numerus positus est C. I. L. IX 2589 trib. pot. III (255) cos. III (257).

2) Omnes errores nummorum Gallieni eodem modo explicandi sunt, ut titulorum C. I. L. II 2200 X 8028: Cohen V Nr. 800, 802, 804, 812—15, 831—32, praeter 810—11 et 834, ubi in partibus anticis recte legitur tr. p. V cos. III (a. 257) et tr. p. VIIII cos. IIII, in posticis falso: Imp. Gallienus Augustus cos. II.

Mai. 28 a. 249, si, quod verisimile est, recte Borghesi in litteris: LEGXGPPFEC inesse suspicatus est: *leg. X geminae piae fidelis Decianae* (Borghesi, oeuvr. IV 305).

Quo tempore Iulius Valens rebellaverit.

Contra Schillerum, qui (G. R. K. Z. I 805) sentit Decium brevi postquam imperium adeptus erat, Roma decessisse, assentior Herzogio (Röm. Staatverf. II 520), qui eum annum et sex menses Romae moratum vere a. 251 summam belli Gothici suscepisse censet. In eo autem non videtur recte iudicare Herzog, quod Iulium Valentem rebellavisse putat iam ante annum 251 (l. l. 520, 2). Recte Victorem (Caes. 29) tradere Valentis tumultum exortum esse, postquam Decius Roma ad bellum Gothicum profectus est, concluditur ex duobus locis Cypriani. Qui scribit haec: Cypr. ep. 55, 9 (Hartel II p. 630): . . . *sedisse intrepidum Romae in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infestus sacerdotibus fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se aemulum principem quam constitui Romae dei sacerdotem.* Episcopum Romanum Cyprianus significat Cornelium, quem creatum esse mense Martio 251 demonstravit Lipsius (Chronol. d. röm. Bisch. 200—207).

Vides Cyprianum et Victorem consentire in eo aemulum levatum esse, postquam Decius abiisset Roma (cf. Cypriani verba: *cum — audiret*); consentire deinde etiam de tempore; nam ad bellum Gothicum, de quo agit Victor, Decium profectum esse vere ex rerum natura patet; vere autem Cornelium constitutum esse vidimus. Itaque non dubito, quin eundem hominem significent et Victor et Cyprianus. Ergo mense Martio anni 251 Valentem defecisse concludi potest. Cui rei con-

venire videtur alius locus Cypr., de laps. 1: *Pax ecce, dilectissimi fratres, ecclesiae reddita est et quod difficile nuper incredulis ac perfidis impossibile videbatur, ope atque ultione divina securitas nostra reparata est. In laetitiam mentes redeunt, et tempestate pressurae ac nube discussa tranquillitas et serenitas refulserunt .... Exoptatus votis omnibus dies venit et post longae noctis horribilem taetramque caliginem Domini luce radiatus mundus eluxit.* Falso Pearsonium (Ann. St. Cypr. p. 32 § 15) haec verba referre ad Decii mortem ostendit Fechtrup (d. hl. Cypr. 118 seq.), qui libellum de lapsis conscriptum esse demonstravit paulo ante synodum Carthaginiensem habitam vere anni 251 [1]).

Ad quid autem verba *divina ultio* referri possunt nisi ad Valentis rebellionem, quae eo ipso tempore, quo libellus est conscriptus, maxime viguisse videtur?

Reliquum est, ut commemorem locum Trebellii Pollionis Val. 5, 4, quo Valerianum a senatu, cui Decius absens electionem commisisset, censorem creatum esse narrat sexto K. Nov. die anni 251. Diem traditum non rectum esse viderunt Schiller l. l. 807, 3 Herzog l. l. 520. Qui rei ipsi fidem adiunget, qua eam dignam esse negant Klebs, Mus. Rhen. XLIII 345 et Seeck Annal. Fleckeis. CXLI 633, iudicabit eam factam esse, postquam Decius ad bellum profectus est, id est non ante ver 251.

De morte Galli et Volusiani.

Galli et Volusiani imperium certis finibus circumscribere difficile esse cognoverunt omnes, qui his rebus

1) quamquam primum eius argumentum, quippe quod positum sit in die Oct. 25 a Trebellio Pollione tradito (cf. infra), futile esse non ignoro.

studuerunt. Sed etiam quamquam eorum imperii initium recte invenisse mihi videor, tamen quando mortui sint dubium est. Ac primum quidem nunc inter omnes constat eos mortuos esse anno 253, non 254, ut Eckhel demonstrare diligentissime est conatus (Doctr. num. vet. VII 361 seq.), motus nonnullis nummis, quibus Gallo trib. pot. IV tribuitur. Habemus nunc testimonium certissimum C. I. L. VIII 2482, quo demonstratur Oct. 22 a. 253 vexillationem milliariam legionis III Aug. a Valeriano restitutae intravisse stationem Gemellensem. Alterum documentum paulo post signatum est diploma LXXIII (Eph. Ep. IV p. 513) Ian. 7 a. 254 a Valeriano datum.

Quo anni tempore autem Gallus necatus sit quo melius possit perspici, exordium capiamus ab imperio Valeriani. Vidimus milites Gemellis fuisse Oct. 22 a. 253. Unde concludendum est, si consideras iter a mari usque Gemellas faciendum (a Rusiccade per Cirtam et Lambaesim usque Gemellas sunt chiliometra 370—400 circiter), deinde navigationem, non multo post Oct. 1 bellum in Italia cum Aemiliano gestum confectum esse [1]). Atqui imperavit Aemilianus dies 88. Herzog (l. l. 523, 3) sentit imperii tempus, quod traditum est, computandum esse ex die, quo in Moesia a militibus suis imperator renuntiatus est; per paucos dies necato Gallo imperio

---

1) Hoc loco non possum sequi Stobbium, qui Philol. XXXII 71, 26 rem ita exponit, quasi post mortem Galli nuntiatam statim Valerianus illos milites e Rhaetia recta via Gemellas miserit; cum autem hoc iter minus 42 diebus confici non potuerit, mortuum esse Gallum non post medium mensem Septembrem ('so dass Gallus Tod spätestens in die zweite Septemberwoche zu setzen sein würde'). Equidem arbitror e Rhaetia milites in Africam mittere, quo tempore Afros ab Aemiliano stare suspicandum erat — stetisse eos apparet ex titulo C. I. L. VIII 10402 — atque ita exercitum attenuare eo tempore, cum iam in Italia res cum Aemiliano gerenda esset, temeritatis fuisse; primum mea quidem sententia Valeriano omnibus copiis coniunctis Italia erat petenda, Aemilianus evertendus, deinde cura provinciarum habenda.

eum usum esse. Contra facere videtur, quod de eius imperii tempore scriptores dissentiunt: Eutrop. IX 6: *Aemilianus ... tertio mense exstinctus est.* Vict. Caes. 31, 3: *Aemilianus ... tres menses usus modesto imperio morbo absumptus est.* Hieron. ann. Abr. 2272: *Aemilianus tertio mense invasae tyrannidis exstinctus.* Syncell. 715, 3: κατὰ δέ τινας Ἀἰμιλιανὸς τριετῆ προίσταται χρόνον; ubi apparet intellegendos esse 3 menses. Cum quibus consentit Chronogr. 354 (p. 648): *Imper. dies LXXXVIII,* quo tempus videtur accuratissime indicari.

Aliter alii auctores: Vict. Epit. 31, 2: *Aemilianus menses quattuor dominatus.* Zonar. XII 22 p. 592, 3: .... κτείνουσι τὸν Αἰμιλιανὸν οὔπου τέσσαρας μῆνας ἡγεμονεύσαντα. Glyc. p. 455: Μετὰ τοῦτον Αἰμιλιανὸς μῆνας δ'. Ioa. Antioch. fgt. 150: τετάρτῳ μηνὶ τῆς τυραννίδος προδιεφθάρη. Ephraemius vers. 203 (p. 17): Αἰμιλιανὸς τέτταρας μῆνας μόλις. Atque quod illi vix tres, hi vix quattuor menses imperavisse tradunt Aemilianum, ita videtur explicandum esse, ut eum tres fere menses post Galli mortem imperasse, nondum quattuor a rebellione usque ad suam mortem egisse suspicemur. Denique, quod gravissimum esse videtur, si cum Herzogio fingimus Aemilianum paucos dies imperio usum deinde statim a Valeriano cum exercitu Germanico adventante esse oppressum, sequitur Valerianum eo tempore, quo Gallus a suis occisus est, prope afuisse. Sed si ille, a Gallo auxilio vocatus, iam aderat, quo modo potest explicari tamen milites Galli neque auxilium exspectantes neque poenam futuram timentes imperatorem suum occidisse usurpatori gratificatos, cui statim instare videbant ultorem? Itaque equidem revera tres menses vel accuratius 88 dies post Galli mortem imperavisse puto Aemilianum. Atque cum eum devictum esse non multo post Octobrem ineuntem supra p. 37 viderimus, Gallus non multo post Iulium ineuntem mortuus esse potest.

Iam conemur invenire post quem terminum necatus sit Gallus. Aemiliani nummi Alexandrini secundum annum exhibent (de Sallet, Al. Kaiserm. 70 seq.), id est annum inde ab Aug. 29 a. 253 — Aug. 29 a. 254. Nam cum secundum Zosimum I 28, 5 Aemilianus, postquam purpuram sumpsit, summa celeritate Italiam et Gallum adversarium peteret, apparet eum non ante annum 253 rebellavisse neque primum eius annum Alexandrinum alium esse posse atque 252/53. Itaque cum Aug. 29 a. 253 vel etiam postea Alexandriae agnosceretur, non potest esse necatus ante medium fere mensem Augustum. Ergo non potuit Gallus mori ante medium fere mensem Maium.

Sed etiam alia nobis patet via, quam ingressi poterimus has res etiam accuratius constituere. Studeamus investigare quo tempore Valerianus et Gallienus Romae sint imperatores salutati. Duobus testimoniis adiuvamur. Porphyr. Vit. Plot. 5 in. Συγγεγονὼς δὲ αὐτῷ τοῦτό τε τὸ ἔτος καὶ ἐφεξῆς ἄλλα ἔτη πέντε — ὀλίγον γὰρ ἔτι πρότερον τῆς δεκαετίας ἐγεγόνειν ὁ Πορφύριος ἐν τῇ Ῥώμῃ, τοῦ Πλωτίνου τὰς θερινὰς μὲν ἄγοντος ἀργούς, συνόντος δὲ ἄλλως ἐν ταῖς ὁμιλίαις — ἐν δὴ τοῖς ἓξ ἔτεσιν τούτοις etc. γράφει. Gallieni decennalia acta sunt anno 262 (cf. Herzog l. l. 564, 2). Cum Porphyrius advenerit Romam paulo ante decennalia, advenerit autem tempore feriarum aestivarum, quas in philosophorum scholis eodem tempore fuisse quo ferias puerorum, id est ex Iul. 1—Oct. 1 (cf. Marquardt, Privatl. 92, 4) verisimile quidem est, apparet decennalia habita esse certe post mensem Iulium anni 262, diem imperii ergo fuisse post Iul. 1 a. 253.

Secundus est locus Vict. Caes. 32, 3, qui adhuc non recte tractatus esse videtur: *Eius* (Valeriani) *filium Gallienum senatus Caesarem creat, statimque Tiberis adulta aestate diluvii facie inundavit: prudentes pericu-*

losum rei publicae cecinere adolescentis fluxo ingenio, quia Etruria accitus venerat, unde amnis praedictus: quod equidem confestim evenit. Viri docti (cf. Bernhardt, Gesch. Roms v. Valer. bis Diocl. 268) respexerunt solum ad verba: *adulta aestate,* spreverunt id, quod hoc tempore factum esse tradit Victor. Apparet autem illum premere ipsum factum inundationis, quippe quod ominis loco habeat. Itaque, quod Tiberis inundavisse traditur, maioris momenti est, quam quando.

Atqui scimus Romae, cum per menses aestivos non magnae atque assiduae pluviae cadere soleant, inundationes Tiberis fieri non posse e mense Aprili usque ad mensem Augustum (incl.) cf. Nissen, Ital. Landesk. I 323. Hanc, quam Aurelius Victor intellegit, inundationem non cadere ante mensem Aprilem patet ex superioribus, quoniam ante Iulium natalis imperii esse non potuit. Relinquitur igitur autumnus, vel ut accuratius definiamus, mensis September, cum multo post Oct. 1. Valerianus et Gallienus Romae Augusti salutati esse non possint (cf. p. 37). Ex quibus apparet falso Aurelium Victorem aestatem adultam, quae est e Iun. 9 (sive 10, sive 13) usque ad Iul. 9 (sive 10, sive 13), posuisse pro autumno adulto, qui est ex Sept. 11 (12) usque ad Oct. 11 (12) (cf. Mommsen, Röm. Chronologie [2] 300, Nissen, l. l. 396); qui error utrum auctoris primarii an excerptoris neglegentiae tribuendus sit non liquet. Ergo clarum factum est mense Septembri aut fortasse primis diebus Octobris Valerianum et Gallienum Romae imperatores esse salutatos. Sequitur Aemilianum Gallum superavisse inter Iun. 1 et initium fere Iulii.

Ad hoc tempus bene quadrare videtur, quod Zos. I 28 et Zonar. (XII 21 p. 590—91 Bonn.) tradunt Aemil. rebellavisse post victoriam a Gothis reportatam. Quamquam enim expressis verbis non dicunt eodem hoc factum esse anno, tamen tam arte utrumque connectunt,

ut rebellio videatur quidem statim secuta esse victoriam illam. Idem sensisse apparet Herzogium, quippe qui (l. l. 536, 3) victoriam Gothicam anno 253 tribuat. Quae si ita sunt, facile intellegimus, cur Aemilianus non ante mensem Iunium in Italiam venerit; nam inde ab initio veris aliquamdiu bello Gothico eum occupatum esse putandum est. Quo confecto rebellavisse videtur mense Maio, fere quattuor mensibus antequam est mortuus (vid. supra p. 38). Brevitas spatii, quod interest inter purpuram sumptam et Gallum necatum, eo explicatur, quod secundum Zos. I 28 celerrime iter fecit neque ullus exercitus Galli ei restitit.

Iam pauca verba mihi facienda sunt primum

De Galli nummis Alexandrinis et Romanis,

deinde de differentiis temporum, quae eius imperio a scriptoribus diversis tribuuntur. Galli et Volusiani nummos Alexandrinos nisi tertii anni non habemus; nam unum Galli anni secundi, quem exhibet Zoëga, recte damnare videtur de Sallet (Al. Kaiserm. 68 seq.). Cum viderimus mortuum esse Gallum Iunio mense probabiliter, non possunt cusi esse eius nummi Alexandriae post Aug. 29 a. 253. Itaque annus tertius, qui legitur, non est Aug. 29 a. 253/54, sed 252/53. Quo efficitur annum primum esse computatum 250/51 (contra Schiller l. l. 808, 1: 251/52). Aemiliani nummos anni primi re vera cusos esse suspicandum est, cum non post initium Iulii a. 253 rerum potitus sit; utrum autem unus ille nummus musei Arigoni (cf. de Sallet l. l. 70) genuinus sit an recte de Sallet de eo dubitet, non possum discernere. Sed etiam si non exstant ulli nummi anni primi, hoc minus mirum est, quam quod annus secundus Galli, per quem totum certe imperio usus est, sive mecum

computas 251/52 sive cum Schillero 252/53, nullis exemplaribus comprobatur.

Iam paucis attingam Galli nummos Romanos, in quibus legitur tr. pot. IIII cos. II (Cohen V Gallus Nr. 92—96 Volus. 91—97). Eckhel his nummis adductus est, ut Gallum et Volusianum annum 254 vidisse statueret (Doctr. n. v. VII 361 seq.). Wilmanns (Ex. inscr. Lat. 1022) hunc computandi modum ita explicat: 'Imperatores a. 253 aliam tribuniciae potestatis numerandae rationem instituerint necesse est, ita ut K. Ian. illius anni pro tertia quartam susceperint. Idque ea re confirmari videtur, quod nullum adhuc monumentum repertum est 'tribuniciam potestatem tertiam exhibens praeter nummum Eckhel III p. 356, qui fortasse iam anno praecedente cusus est' (nummus Bandurii. Cohen eum non indicat). Quem sequitur Schiller, l. l. 810, 1. Sed huiusmodi mutationis nullum aliud exemplum habemus neque per se videtur probabilis esse. Equidem puto minus moleste nummos illos explicari errore monetariorum his temporibus turbidis non insolito. Ut enim in Aemiliani nummos (Cohen V Aemil. Nr. 38) hoc ipsum trib. pot. IIII cos. II, quod in illo falsum est, ex alio imperatore translatum est, ut item apud Alexandrum Severum (Cohen IV Alex. Sev. 470) inscriptio legitur, quae solum in Elagabalum quadrat, ut in nummo Herennii Etrusci partis anticae inscriptio a Philippo repetita est (Cohen V Herenn. 36, de quo agit Eckhel, l. l. VII 343), ita etiam hic alienas nummorum formas Galli temporibus adhibitas esse puto, et eas quidem Philippi, in cuius nummis a. 247 recte legitur tr. p. IIII cos. II (Cohen V Phil. Nr. 133—143). Conferendus est nummus, quem (Berl. Zeitschr. f. Num. XIII 123) publicavit Friedensburg, qui haec: 'Silbermünze des Imp. Caes. G. Vib. Treb. Gallus Aug. Rs: Fides militum. Das Porträt ist weniger Gallus als Philippus senior. Der

Revers, stehende Frau mit zwei Feldzeichen, ist ein Typus, der auf den Münzen des Philippus gewöhnlich ist'.

Decii formas non poterant mutuari monetarii, si voluerunt annos tribuniciae potestatis indicare, cum trib. pot. in Decii nummis numquam appareat (cf. Eckhel l. l. VII 343). Ita explicari posse mihi videtur, cur in nummis trib. pot. III Galli non exstet. Quod etiam in titulis semel legitur tr. p. IIII cos. II (C. I. L. VI 1104 = Wilmanns 1022), ex nummis errore translatum esse potest; quod autem monumenta trib. pot. III nondum habemus, casu potest factum esse; nam rarissimi omnino sunt tituli Galli certo anno tribuendi: cum tres exstent, quae certe ad a. 251 pertinent C. I. L. VIII 10292. 10046 XI 1928, tres trib. pot. II (a. 252) C. I. L. II 4887 C. I. L. III 4270 IX 3916, unus trib. pot. IV (vid. supra), non mirum est nondum repertos esse trib. pot. III titulos; ut perirent potest iniuria temporis factum esse.

De diversis temporibus Galli a scriptoribus traditis.

Ad finem quaestionis de Galli imperio habitae reservavi testimonia, quae scriptores de tempore eius imperii tradiderunt, propterea, quod mira eorum discordia et perturbatione prohibitus sum in quaestione solvenda iis uti. Adpono diversos numeros. Chronogr. 354 (p. 648): *Gallus et Volusianus imper. ann. II m. IIII d. IX.* Hieronymus a. 2269: *Romanor. XXVI regnavit Gallus et Volusianus Galli filius a. II mens. IIII*[1]). Hic

1) ex quo idem habet Iordanes, Rom. 285; quod legitur in versione Armenia *ann. II mens. VI*, videtur solum errore librarii ortum esse, ut saepe alias numeri vers. Arm. sunt corrupti.

numerus non potest rectus esse ita, ut tempori, quod intercedit inter mortem Decii et Galli, sit aequus. Nam cum initium capiat Galli imperium Decio occiso non ante mensem Iulium a. 251 (probabiliter Iul. 27, cf. supra p. 32), finiretur secundum illum numerum non ante mensem Novembrem 253, quo tempore Valerianum iam imperavisse discimus ex lapide illo Africano (C. I. L. VIII 2482, cf. supra p. 37).

Idem cadit in a. II m. VIII Zonarae XII 21 fin. p. 591, 6 Cedren. I p. 452 Glyc. p. 454 [1]). Qua autem computandi ratione a. II m. IIII et a. II m. VIII reperta sint (neque enim corruptela videtur subesse) me prorsus ignorare confiteor.

Syncell. p. 705: οἳ (Gallus et Volusianus) καὶ βασιλεύουσι κατὰ Δέξιππον μῆνας ιη′ πράξαντες οὐδὲν ἀξιόλογον. Hi menses 18 speciosi visi sunt Tillemontio (III 511); quos cum initium capere fingat fine Novembris 251, falso Trebellii Pollionis die VI K. Nov. (Val. 5, 4) seductus, mortuum esse Gallum censet mense Maio 253. Sed cum sciamus Decium mortuum esse ante Aug. 29 a. 251 (probabiliter Iul. 27), istum numerum 18 mensium secuti invenimus finem imperii Galli incidere in Februarium aut Martium 253, quod nullo modo cum iis, quae supra exposuimus, consentit. Neque melius id, quod tradit Niceph., chronogr. comp. p. 748: Γάλλος καὶ Βουλουσιανὸς ἔτος ἓν μῆνας δ′. Quomodo autem hi numeri explicandi sint, si non pro rectis accipiantur, ipse docuit Tillemont III 509: 'On pourrait dire que le Syncelle a dû lire dans Dexippe 28 mois, qui font les deux

1) Utrum Ioa. Antioch. fgt. 150 in verbis οὔπω τρίτον ἐνιαυτὸν ἐν τῇ προστασίᾳ διατετελεκότες secutus sit eundem numerum an intellegat annos tribuniciae potestatis, qui indicantur apud Syncell. p. 705 secundo loco: κατὰ δὲ ἄλλους ἔτη γ et in Chronogr. synt. (Euseb. Schöne I 101): ἔτη γ, non liquet.

ans et quatre mois de la chronique d'Eusèbe'. Item pro a. I m. IIII Nicephori legendum est: a. II m. IIII. Itaque Syncelli et Nicephori temporis memoriae ad idem redeunt, quod supra iam tractavimus.

Denique restant testimonia haec: Eutrop. IX 5: *Interfecti sunt non completo biennio* = *Oros. VII 21: vix duobus annis.* Vict. Epit. 30, 1: *imperaverunt annos duos.* Euseb. h. eccl. VII 10: οἵ γε μὴν ἀμφὶ τὸν Γάλλον οὐδ' ὅλοις ἔτεσι δύο τὴν ἀρχὴν ἐπικατασχόντες. Syncell. p. 705 (tertio loco): καθ' ἑτέρους ἔτη β. Iordan. Get. 19, 106: *Dicti vero Gallus et Volusianus imperatores, quamvis vix biennio in imperio perseverantes ab hac luce migrarunt, tamen ipsud biennium, quod affuerunt, . . . regnaverunt gratiosi.* Vides haec optime conspirare cum eo, quod nos statuimus Gallum imperatorem factum Iul. 27 a. 251 necatum esse mense Iunio (fortasse sub finem mensis) 253. Tale imperium anni unius et undecim fere mensium optimo iure appellari 'non completum biennium, vix duo anni', posse autem, si quis breviter velit indicare, dici 'duo anni' apparet.

Contra loco Victoris Caes. 31, 3: *His sane omnibus (sc. Gallo Volusiano Aemiliano) biennio profecit (an corr.?), nam Aemilianus quoque tres menses usus modesto imperio morbo absumptus est,* ex quo, si ad verbum intellegendus esset, Gallum non plus annum unum menses novem imperavisse concluderetur, non multum momenti tribuendum esse existimo.

Quando Valerianus a Persis captus sit.

Valerianus captus esse putatur anno 260 et quidem ante Aug. 29; nam nummos certos non exstare post annum septimum (de Sallet, l. l. 73; Schiller, l. l. 821, 8; Mommsen, Röm. Gesch. V 430, 2). Nummo autem,

qui publicatus est in annalibus, qui vocantur Zeitschr. f. Num. (I 205), efficitur eius annum octavum esse numeratum. Itaque non potest multo ante Aug. 29 a. 260 captus esse, potest postea. Plura fortasse erui possunt ex loco Dionysii apud Euseb. h. eccl. VII 10: Αὖθις δὴ οὖν ὁ Διονύσιος, οἷα καὶ περὶ τούτου διέξεισιν, ἐκ τῆς πρὸς Ἑρμάμμονα ἐπιστολῆς μαθεῖν ἔστιν, ἐν ᾗ τοῦτον ἱστορεῖ τὸν τρόπον· Καὶ τῷ Ἰωάννῃ δὲ ὁμοίως ἀποκαλύπτεται . . . Καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία καὶ μῆνες τεσσαράκοντα δύο. Ἀμφότερα δέ ἐστιν ἐπὶ Οὐαλεριανοῦ θαυμάσαι· καὶ τούτων μάλιστα τὰ πρὸ αὐτοῦ ὡς οὗτος ἔσχε, συννοεῖν, ἕως ἤπιος καὶ φιλόφρων ἦν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους τοῦ θεοῦ κτε. Recte enim contra Petersium Fechtrup (Cypr. I 246) monet finem huius spatii esse intellegendum tempus, quo Valerianus captus est, non tempus, quo dominatio Macriani in Aegypto est eversa.

Iam si possumus definire quo tempore Valerianus Christianos persequi coeperit, tenemus quando imperare desierit. Proficiscendum est a loco actorum proconsul. Cypriani (Cypr. ed. Hartel III p. CX 1): *Imperatore Valeriano quartum et Gallieno tertium consulibus tertio Kalendarum Septembrium Carthagine in secretario Paternus proconsul Cypriano episcopo dixit: Sacratissimi imperatores Valerianus et Gallienus litteras ad me dare dignati sunt, quibus praeceperunt eos qui Romanam religionem non colunt, debere Romanas caeremonias recognoscere.* Ergo Aug. 30 a. 257 coepti sunt in iudicium arcessi Christiani Carthagine (nam apparet episcopum primum ante omnes alios esse protractum). Quaeritur quantum temporis praeterierit usque ad hunc diem ex illo, quo Valerianus ipse de Christianis rescripsit. Quod ut possimus invenire, adiuvamur actis anni insequentis 258. Scribit Cyprianus in epist. 80 (Hartel II 839) se per nuntios Romam missos '*ut quomodocumque de nobis rescriptum fuisset, explora-*

tam veritatem ad nos perferrent' audivisse *rescripsisse Valerianum ad senatum ut episcopi et presbyteri et diacones in continenti animadvertantur etc. Subiecit etiam Valerianus imperator orationi suae exemplum litterarum, quas ad praesides provinciarum de nobis fecit: quas litteras cotidie speramus venire ... Xistum autem in cimeterio animadversum sciatis VIII Id. Aug. die et cum eo diacones quatuor. Sed et huic persecutioni cotidie insistunt praefecti in urbe etc.* Itaque apparet in ipsis persecutionis primordiis Xystum martyrium passum esse. Carthagine autem animadversum est in Cyprianum Sept. 13—14. Videmus igitur mensem et nonnullos dies interesse inter persecutionis Romanae et Carthaginiensis initia. Atque cum eodem modo etiam anno 257 imperatorem orationi ad senatum missae litteras ad praesides provinciarum subiecisse itaque idem intervallum interfuisse verisimile sit, Carthagine autem Aug. 30. Cyprianus in ius vocaretur, sub finem Iulii Romae rescriptum Valeriani publicatum esse concludo. Valerianum autem, qui iam tum Roma aberat in Orientem profectus, mense fere Iunio rescripsisse puto. Unde profectus si computas menses 42, pervenis ad Dec. a. 260. Ante initium a. 261 autem captum esse Valerianum ex eo concludendum est, quod Gallieno, qui mortuus est a. 268, nonnulli auctores tribuunt annos novem, numerantes, ut manifestum est, annos tribuniciae potestatis inde a tempore captivitatis patris (Treb. Poll. Gallien. 21, 5 Vict. Caes. 33, 35 Eutrop. IX 11); quorum annorum cum extremus sit 268, primus est 260. Deinde non iam prodiit consul Valerianus cum Gallieno a. 261, quod fecisse eum, si tum libertate usus esset, propterea verisimile est, quod etiam antea annis 254, 255, 257 una consulatu functi erant pater et filius.

Si recte de fine Valeriani imperii disputavi, imperavit annos plus septem (a Sept. a. 253 — Dec. a. 260).

Anni sex, quos nonnulli scriptores (Vict. Caes. 32, 5 Treb. Poll. Gallien. 21, 5 Malalas XII p. 295 Bonn. Ioa. Antioch. fgt. 152) ei tribuunt, inventi esse possunt deductis novem annis Gallieni de summa temporum patris et filii, quae summa numerari solet 15 annorum. Rectius dividit Vict. Epit. 33: *Regnavit (sc. Gallienus) annos quindecim, cum patre septem et solus octo.*

De Gallieni Claudii Aureliani Taciti imperiis.

Claudium imperatorem salutatum esse Romae Mart. 24 a. 268 tradit Treb. Poll. Claud. 4. Quod si rectum est, Gallienus vita decessit sub Mart. 20. Nemo, quantum video, de hoc tempore adhuc dubitavit. Ego ut dubitarem, commotus sum primum nummo Alexandrino anni Gallieni decimi sexti, i. e. edito post Aug. 29 a. 268 (quia post Aug. 29 a. 253 Gallienus ad imperium pervenit, cf. p. 40). Sequeretur Gallienum non mortuum esse mense Martio, si manifestae fidei esset nummus. Sed non plus unum exemplum eius notum est, neque hoc ipse vidit de Sallet; quare satis dubitanter de eius auctoritate iudicat [1]). Neque certiora videntur posse erui ex rebus gestis. Tradit Zosimus I 40 Aureolum rebellavisse, quo tempore Gallienus cum Gothis bellum gereret (cf. Treb. Poll. Gallien. 13, 9); hunc advolavisse, vicisse Aureolum, inclusisse in urbem Mediolanum, in eius obsidione esse occisum (cf. Zonar. XII 25 p. 601, 6 seq.).

---

1) l. l. 74; postquam dixit duobus nummis a Sestinio prolatis se fidem non habere pergit: 'Eine Münze dieses Jahres .... hat Cohen im Catalog der Gréau'schen Sammlung beschrieben, Cat. Gréau 281 Nr. 3353. Leider habe ich diese Münze nicht erlangen können, Cohens Genauigkeit bürgt aber wohl für die Richtigkeit ihrer Lesung. Andere Münzen dieses Jahres kenne ich nicht'.

Non expressis verbis dicitur quando hoc bellum Gothicum gestum sit: quare qui adhuc tractaverunt has res (Bernhardt, Gesch. Roms etc. 116 seq. de Wietersheim, Gesch. d. Völker-Wand. II 317), annum 267 sibi sumunt; sub finem anni Aureolum esse victum, per hiemem Mediolani obsessum, vere Gallienum occisum esse. Contra facere videtur, quod obsidionem fuisse tam diuturnam et per hiemem factam esse non commemorant scriptores, quin etiam, quod Zosimus nihil tradit de obsidione, sed Gallienum statim in itinere necatum facit (Zos. I 40: Γαλλιηνὸς ἐχόμενος τῆς ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν ὁδοῦ εἰς τοιάνδε ἐπιβουλὴν ἐμπίπει. Itaque non absonum est suspicari bellum Gothicum illud non ante ver anni 268 esse geri coeptum; quod si ita sit, efficiatur nondum Mart. 20 Gallienum in Italia post victoriam ab Aureolo reportatam potuisse occidi. Sed quamquam haec possunt conici, non possunt certis argumentis comprobari. Aliunde auxilium expetendum est. Itaque nunc quaestione hac relicta vertamus septem annis proximis praetermissis ad imperium Taciti et mortem Aureliani.

Minime enim satis habeo sententiam Schilleri amplecti (l. l. 871, 6): „Die Chronologie Aurelians ist in unheilbarer Weise verdorben.“ Ac primum quidem videtur constare Tacitum imperatorem factum esse Sept. 25 a. 275. (Vop. Tac. 3: *die VII Kal. Octobres.*) Quod recte statuit Herzog (l. l. 585, 1) adhibito etiam loco Vop. Tac. 13, 6: *Hic idem Septembrem Tacitum appellari iussit idcirco, quod eo mense et natus et factus est imperator.*

De tempore autem, quod imperavit Tacitus, tradita sunt haec: Nummi Alexandrini exhibent LA. De uno exemplari LB dubitat de Sallet (l. l. 88). Vop. Tac. 13, 4: *Interemptus est . . . sexto mense.* Vict. Caes. 36, 2: *Tacito confestim a ducentesima regni luce Tyanae mortuo*

. . . *Florianus imperium invaserat.* Vict. Epit. 36, 1: *Tacitus, . . . qui ducentesimo imperii die apud Tarsum febri moritur.* Eutrop. IX, 16: *Intra sextum mensem imperii morte praeventus.* Hieron. a. 2293: *Romanor. XXX regnavit Tacitus menses VI;* item Cassiod. Chron. Ioa. Antioch. fgt. 157: ἓξ μησὶ τοῖς ὅλοις βασιλεύσαντα. Zonar. XII, 28 fin. p. 608, 18: κακεῖνον ἀνεῖλον οὔπω ἕβδομον μῆνα παρὰ τῇ βασιλείᾳ ἀνύσαντα, κατὰ δέ τινας μὴ ὅλους δύο ἐνιαυτούς. Niceph. p. 749, Syncell. p. 722: μῆνας ἕξ [1]). Sequamur Victoris (Caes. et Epit.) numerum, qui, ut exactus, maximam fidem prae se fert [2]). Post Tacitum imperavit frater Florianus per 88 dies (testimonia vid. ap. Clinton. F. R. 276; addenda: Chronograph. 354: *imper. d. LXXXVIII;* Mos. Choren. c. 75: dies 88), qui exeunt Iul. 7 a. 276; quod tempus bene convenit loco Zos. I 64: ἐν τῷ θέρει γινομένου καύματος.

Constat Tacitum electum esse a senatu, ad quem post Aurelianum mortuum milites electionem detulerant (cf. Vop. Aur. 40 Tac. 2 Vict. Caes. 35, 9 seq.). Apparet igitur per aliquod tempus sine imperatore fuisse imperium. Sed hoc interregnum fuisse sex mensium recte negaverunt Schiller (l. l. 871, 6) et Herzog (l. l. 585, 1). Considerandum est primum in nummis Alexandrinis occurrere annum septimum Aureliani, qui incipit Aug. 29 a. 275 (de Sallet, l. l. 81), ita ut multo antea

---

1) Anni duo, quos habent Cedren. I 462 Glyc. p. 456, Zonaras loco secundo, intelleguntur anni tribuniciae potestatis, nam mortuus est Tacitus anno 276. — Chronogr. synt. (Euseb. I 101) et Liber generationis (Fredegar. I 26) neglegendi sunt, cum coniungant Tacitum cum Probo. De Chronogr. 354 infra agendum erit.

2) De loco mortis in duobus libris Victoris falso tradito consentiunt Malalas XII 301: ἐσφάγη ἐν Σταννικῇ τῆς Πόντου et Mos. Choren. c. 76: l'empereur fut tué par les siens à Djanik dans le Pont, qui est la Chaldie. Intelleguntur fines Sannorum in extremo Ponto siti, cf. Strab. XII 3, 18.

mortuus esse non possit. Deinde Graeci auctores nihil tradunt de interregno, quod memoratur a solis Vopisco et duobus Victoribus (Caes. et Epit.) Tum id quidem recte monet Schiller sex mensium spatium, etiamsi tres legationes missae sint, credibili longius esse. Accedit, quod ne constat sibi quidem Vopiscus. Si enim respiceremus ad locum Vop. Aur. 41, quo senatui necis Aureliani nuntium perlatum esse Febr. 3 tradit, sequeretur illum occisum esse mense Ianuario; quod tempus distat a Sept. 25, quo die Tacitum electum esse vult, 8 menses, non 6. Neque consulum nomina a Vopisco adlata possunt conciliari cum iis, quae ipse de complurium mensium interregno sentit. Velium Cornificium Gordianum, quem consulem fuisse commemorat Vop. Tac. 3, quo tempore Tacitus eligeretur (Sep. 25), consulatum iniisse Sept. 1 putandum est. (Nam non plus duos menses illo tempore consules munere functos esse veri est simillimum cf. Mommsen St. R. II 86, ex quo efficitur novos deinceps consules processisse Kal. Mart., Mai., Iul., Sept., Nov.) Quodsi, quod Schillerum recte sensisse puto, ille Velius Cornificius Gordianus unus idemque intellegendus est qui Aurelius Gordianus (Vop. Aur. 41), ne hic quidem poni potest ante Sept. 1. Itaque si Vopiscus Gordiano consule senatui mortem Aureliani nuntiatam esse voluit, non debebat Februario hoc tribuere, sed Septembri.

Denique quo modo inciderint in sex menses Vopiscus et Victor (vel eorum auctores) videmus ex loco Vop. Tac. 14, 5: *Duo igitur principes una exstiterunt domo, quorum alter sex menses, alter vix duobus imperaverunt, quasi quidam interreges inter Aurelianum et Probum.* Itaque videtur error eo redire, ut sex menses interregni a Taciti sex mensibus petiti sint. Eiusdem rei apud Victorem vestigia deprehendimus: memoratur interregnum sex mensium Caes. 36, 1, septem

mensium Epit. 35, 9, quae differentia consentanea est; nam Tacito, qui imperavit 200 dies, et menses 6 et 7 tribui possunt.

Apparet igitur non sex mensibus ante Sept. 25 necatum esse Aurelianum. Quantum spatium autem intercesserit eruere possumus auxilio Chronogr. a. 354. Ceteri auctores Aureliano tribuunt a. V m. VI[1]), qui exactorum numerorum consensus fide dignus esse videtur; aut a. VI, qui intellegendi sunt anni trib. pot.[2]), Tacito assignant menses sex vel accuratius dies 200. Aliter Chronogr. a. 354 p. 648: *Aurelianus imp. annos V m. IIII d. XX. Tacitus imperavit m. VIII dies XII.* Recordatus quam foedis vitiis scateat hic index imperatorum, primo adspectu et Aureliani et Taciti numeros corruptos esse censui. At dubitationem movit, quod, si calculo posito addis annis mensibus Aureliani a ceteris auctoribus traditis numeros Taciti, quos iidem praebent, si deinde duorum imperatorum numerorum, quales apud Chronographum inveniuntur, summam facis, utrobique idem efficitur[3]). Itaque videntur non corrupti esse numeri Chronographi, sed ex alia computandi ratione inventi. Tacitum 200 dies imperavisse inde a Sept. 25 a. 275 — Apr. 11 a. 276 sensimus. Qui ei dedit m. VIII d. XII, eius imperii initium non sumit Sept. 25, quo die a senatu Tacitus creatus est, sed tempus interregni il-

---

1) Vict. Epit. 35, 1 Paulus Epit. 35, 1 Hieron. a. 2288 Cassiod. Chronogr. synt. (1. 1. 101) Niceph. p. 749.

2) Euseb. h. eccl. VII 30 fin. Ioa. Antioch. fgt. 156 Syncell. p. 721 Malal. XII p. 299 Bonn. Verba Vop. Aur. 37, 4: *Imperavit annis sex minus paucis diebus* comparanda sunt cum Zonar. XII 27 fin. p. 608, 3: ἓξ ἐνιαυτοὺς ἠνυκότα . . . μηνῶν ὀλίγων ἐνδέοντας, ita ut videantur apud Vopiscum falso dies pro mensibus positi esse.

3) a. 5 m. 6 d. x (namque post menses dierum numerus ab excerptoribus illis solet omitti) + d. 200 = a. 5 m. 12 d. x + 20. a. 5 m. 4 d. 20 + m. 8 d. 12 = a. 5 m. 12 d. 32.

lius, quod inter Aurelianum et Tacitum erat, Tacito adscripsit. Contra qui Aurelianum imperavisse contendit a. V m. VI, tempori, per quod ipse imperio usus est, addidit id, quod praeteriit post eius mortem ante Tacitum electum, ita ut etiam tum Aurelianus imperare videretur; quam rationem non miram putabimus, si comparaverimus locum Vop. Aur. 40, 4: *Denique id tertio factum est, ita ut per sex menses imperatorem Romanus orbis non habuerit, omnesque iudices ii permanerent, quos aut senatus aut Aurelianus elegerat, nisi quod pro consule Asiae Falconius Probus in locum Arelli Fusci delectus est.* cf. Mommsen, St. R. II 1125 de mandatis praesidum provinciarum.

Ergo si Tacitum Apr. 11 a. 276 imperium m. VIII d. XII ad finem peregisse statuimus, primum imperii diem invenimus esse Iul. 31 a. 275; mortuum esse Aurelianum hoc die; a quo profecti si deducimus a. V m. IV d. XX, efficimus eum imperare coepisse Mart. 12 a. 270. Itaque qui eius imperium produxerunt usque ad Sept. 25 a. 275, accurate computaverint necesse est m. VI d. XIV, ex quo numero factum esse a rerum scriptoribus m. VI, omissis diebus, nemini mirum videri potest.

Quid autem censendum erit de die illo Febr. 3 (Vop. Aur. 41, cf. p. 51)? Iam supra dixi consulem illum Gordianum probabiliter non fuisse ante mensem Septembrem. Itaque fortasse pro *III. Non. Febr.* legendum est *III. Non. Sept.* Si *III. Non.* et consulis nomen recte posita sunt ad rem, quae traditur, Aureliani mortis nuntium sero quidem ad senatum perlatus sit necesse est[1].

1) Coenophrurium, quo loco Aurelianus necatus est, abest a Dyrrhachio 707 m. p. (It. Ant. 317—323), Brundisium a Roma 375 m. p. (ib. 119, 120, 121, 107). Summa itineris pedestris efficitur 1082 m. p.; accedit iter maritimum a Dyrrhachio usque Brundisium 1000 stadiorum (ib. 497).

Quae mora fortasse explicatur eo, quod milites post Aurelianum mortuum aliquamdiu deliberavisse poni potest; cf. Vop. Tac. 2, 4: *interfecto . . . Aureliano . . . coeptum est quaeri, ecquis fieri deberet ex omnibus princeps. Tunc odio praesentium exercitus . . . litteras misit.* Sed ille dies III Non. Febr. potest etiam ad aliud quoddam factum nobis ignotum pertinere et hoc loco falso adpositus esse.

Offendat quispiam in eo, quod ego retento eo tempore electionis Taciti, quod traditur (Sept. 25 a. 275), Aurelianum occisum esse censeo Iul. 31, quamquam exstant nummi Alexandrini anni septimi, qui annus initium cepit Aug. 29 a. 275. Sed hoc explicare videtur Herzog l. l. 585, 1. Ceterum interregni vestigium fortasse haberi potest id, quod ipsius Aureliani nummi Alexandrini huius anni septimi rari sunt, crebriores uxoris Severinae (cf. Eckhel VII 486, qui solius Severinae nummos huius anni exstare putabat), quamquam de Sallet (l. l. 82) omnino nihil tribuit illi Zoegae et Eckhelii sententiae. — Quod Schiller (l. l. 871, 1) putat Aurelianum occisum esse sub finem a. 275, quia trib. pot. VII memoratur in milliario (Henzen 5551 = Wilmanns 1044), recte Herzog (l. l.) neque huic uni lapidi neque nummo (Cohen VI Aurel. No. 179) ullam auctoritatem tribuendam esse sentit. Omnino magna temporum confusio deprehenditur in inscriptionibus Aureliani; tredecim titulorum certis annis attributorum, quos equidem novi, septem falso signati sunt (C. I. L. II 4506 V 4319 VIII 10017 XII 5456, 5548 Henzen 5551 duo exempla).

Iam tempus est reverti ad ea, a quibus profecti sumus. Vidimus Aurelianum esse imperatorem factum Mart. 12 a. 270. Eodem die vita decessisse videtur Claudius; cum enim ab exercitu crearetur Aurelianus statim post Claudii mortem, ex hoc ipso tempore com-

putatum esse eius imperium existimo, Quintilli 16 diebus neglectis[1]).

Cum autem in imperio egerit a. I m. IX[2]), imperare coepit Claudius non post mensem Iunium a. 268.

Itaque nullo pacto potest ad imperium pervenisse Martio 268, ut vult Treb. Poll. Claud. 4: *Nam cum esset nuntiatum VIIII kl. Aprilis ipso in sacrario Matris sanguinis die Claudium imperatorem factum, etc.* Sed quid? aliunde novimus diem sanguinis fuisse Mart. 24; qui idem est atque dies a Pollione traditus (Preller, Röm. Mythol.[3] II 389). Quare de die non potest dubitari. Sed vide modo: Claudium mortuum esse demonstravi

---

1) Itaque ad idem fere pervenimus, quod iam dudum de Claudio statuerunt viri docti secuti Tillemontium, qui III 531: 'Pollion dit, que la déroute des Gots fut achevée en 270 (Claud. 11, 3) par la peste, qui se mit parmi eux, en sorte que Claude negligeoit mesme de les poursouivre. Cela marque que Claude a vécu assez avant dans l'an 270, la peste ni la guerre ne commençant d'ordinaire qu' aprés l'hiver'. (Aprili mortuum esse Claudium suspicatur paulo infra); cf. Schiller l. l. 850, Bernhardt l. l. 139.

2) Rectum hunc numerum esse colligo ex consensu Euseb.-Hieron. a. 2285 Cassiodor. Chronogr. synt. (Euseb. p. 101) Niceph. p. 749 Malal. XII p. 298 Bonn. (nam ad hunc numerum redire Malalae ἔτη θ' nemo erit qui neget). Conciliari potest, quod habet Eutrop. IX 11: *intra imperii biennium.* Annus unus, quem habent Syncell. p. 720 Zonar. XII 26 fin. p. 606, 3 Glyc. p. 455 Ephraem. p. 17 et anni duo, qui scripti sunt apud Zonar. XII 26 fin. p. 606, 4 Vict. Epit. 34, 1 Euseb. h. eccl. VII 28 fin. Chron. Pasch. p. 273 A Cedren. I p. 454, non significant numeros accuratos; brevitatis causa menses aut neglecti sunt, aut plenus annus alter substitutus est pro mensibus novem. Neque ex loco Porphyr. Vit. Plot. 2: Ἀφῆκε τὸ πνεῦμα ἔτη γεγονὼς, ὥς ὁ Εὐστόχιος ἔλεγεν, ἕξ τε καὶ ἑξήκοντα, τοῦ δευτέρου ἔτους τῆς Κλαυδίου βασιλείας πληρουμένου Claudium duos annos imperavisse concludendum est; optime loco satis fit, si intelleguntur anni tribuniciae potestatis, ita ut ante Dec. 10 a. 269 aut Ian. 1 a. 270 Plotinum mortuum esse dicat Porphyrius. Chronographi a. 354 a. I m. IIII d. XIIII corruptum esse apparet. Utrum corrigendum sit m. VIII an VIIII dubitari potest.

Mart. 12 a. 270. Obiit Sirmii. Hoc loco legimus Mart. 24 Romam nuntiatam esse eius electionem. Quid clarius est, quam diem mortis nuntiatae tradidisse Pollionem pro die imperii? Prorsus eundem errorem iam supra deprehendimus in vita Maximi et Balbini (cf. p. 27). Iter m. p. 912 (It. Anton. 125—126, 281, 129), quod Sirmium distat a Roma, 13 diebus bene potest factum esse; (quamquam habemus exempla cursuum celeriorum, cf. Friedländer S. G.[6] II 23).

Quo die imperium adeptus sit Claudius incertum est. Si praeter annum unum eum imperavisse novem menses plenos statuimus, initium cadit non post Iun. 12 a. 268. Atque si apud Chronographum a. 354 pro mens. IIII scribimus m. VIIII dierum numero XIIII retento, dies imperii efficitur Mai. 30 a. 268. Si nonum mensem non explevisse Claudium ponimus et Chronographo restituendum esse sentimus m. VIII d. XIIII, Claudius imperare coepit Iun. 29 a. 268. Quid rectius sit non diiudico, quamquam illud verisimilius mihi videtur.

Iam revertamur ad Gallienum. Quem cum multo ante Aug. 29 occisum esse putandum sit, censeo recte Salletium primo dubitavisse de nummis illius anni decimi sexti. Nam fieri non potuisse puto, ut iam Maio vel Iunio nummi novi anni ederentur. Neque enim in Nerone, qui mortuus est Iun. 9 a. 68, neque in Traiano mortuo Aug. 8—10 a. 117, neque in Hadriano mortuo Iul. 10 a. 138 nummi sequentis anni Alexandrini inveniuntur (de Sallet l. l. 20; 28; 30).

Deinde sequitur ex eo, quod Gallienus aestate occisus est, eius bellum Gothicum (cf. p. 48) tribuendum esse non fini a. 267, sed initio a. 268.

Quantum autem tempus Gallienus imperaverit non potest ad diem constitui, quoniam quo mense mortuus sit incertum est. Si Mai. 30 a. 268, fortasse apud Chronogr. a. 354 (p. 648) pro *Gallienus cum Valeriano imper.*

annos XIIII m. IIII dies XXVIII ponendum est m. VIII d. XXVIII; quod si scribitur, dies imperii efficitur Oct. 3 a. 253, quem tamen firme statuere dubito, ne ad tempus iusto inférius delabar, cum iam Oct. 22 milites Valeriani Gemellis castra intraverint (cf. p. 37). Cum ceteris autem testimoniis, quae supra adhibui, Oct. 3 bene congruit. Si probatur, Gallus mortuus est 88 diebus ante, Iul. 7 a. 253. Sed de omnibus illis diebus ex morte Galli usque ad initium imperii Claudii nihil certi pronuntiare audeo.

De Probi Cari Carini Numeriani temporibus.

Probi imperii initium statuitur morte Floriani (Iul. 7 a. 276, cf. supra p. 50). Falso tradit Vop. Prob. 11, 5 die III Non. Febr. (Febr. 3) Probum a senatu salutatum esse. Eodem die anni praeteriti senatui mortem Aureliani ab exercitu nuntiatam esse refert (Aurel. 41). Utrum in Probo eundem diem ita invenerit, ut pro sex mensibus interregni, quos fingit, et sex mensibus Taciti (Floriani imperii tempore omisso) unum annum plenum interponat, an, quod veri similius videtur, casu hic dies aliunde falso translatus sit, non liquet; certe autem ex hoc quoque exemplo discimus diebus a scriptoribus Hist. Aug. traditis cautissime esse utendum; neque fidem eorum dubio carere, nisi aliis testimoniis possit confirmari.

Quo die Probus necatus sit invenire difficile est. Exstant nummi anni Alexandrini octavi (de Sallet l. l. 88), qui currit ex Aug. 29 a. 282; ante finem anni 282 certe mortuus est, quoniam Carus processit consul 283. Quod tradit Vop. Prob. 21, 3: *anno imperii sui quinto*, et 22, 2: *quinquennio imperii*, falsum est aperte; ortus

videtur error eo, quod anno 282 Probus quintum erat consul. Si accipimus, quod plerique auctores tradunt (cf. Clinton, F. R. 282) a. VI m. IIII, adducimur, ut Probum mortuum esse sentiamus Octobri 282; si, quod praebet Chronographus a. 354: *ann. VI m. II d. XII,* Sept. 18 a. 282. Possit quis suspicari etiam hoc loco corruptam esse lectionem; corrigendum esse m. III d. XII. Sed fortasse numerus Chronographi accuratus est. Quod ut non absurdum putem, quibus rationibus adducar patebit ex illis, quae de Cari et Numeriani imperiis iam exponam.

Caro tribuit Chronographus (p. 648) m. X d. V. Quod potest rectum esse. Nam mortuus esse videtur ante Aug. 29 a. 283, cum nulli nummi secundi anni exstent (de Sallet l. l. 89). Aestate anni 283 vero eum mortuum esse verisimile redditur iis, quae de fine tradit Vop. Car. 8, 2 seq.: *ut alii dicunt morbo, ut plures fulmine interemptus est. Negari non potest eo tempore, quo periit, tantum fuisse subito tonitruum, ut multi terrore ipso exanimati esse dicantur. Cum igitur aegrotaret atque in tentorio iaceret, ingenti exorta tempestate immani coruscatione, immaniore, ut diximus, tonitru exanimatus est.* ib. 8, 4 ex epistula Calpurnii: *Cum . . . Carus, princeps noster vere carus, aegrotaret, tanti turbinis subito exorta tempestas est, ut caligarent omnia, neque alteruirum nosceret; coruscationum deinde ac tonitruum in modum fulgurum igniti sideris continuata vibratio omnibus nobis veritatis scientiam sustulit. Subito enim conclamatum est imperatorem mortuum, et post illud praecipue tonitruum, quo cuncta territa erant. His accessit quod cubicularii dolentes principis mortem incenderant tentorium. Unde subito fama emersit fulmine interemptum eum, quem, quantum scire possimus, aegritudine constat absumptum.*

Mortuus igitur est tempore subitae tempestatis cum

fulguribus coniunctae, sed quae pluvia careret. Quod apparet ex eo, quod tentorium sive fulgure sive a cubiculariis incensum conflagravit. Tales autem tempestates, qualem hoc loco satis accurate describit scriptor Hist. Aug., proprias esse temporis aestivi in Babylonia (apud Chesiphontem enim Carus mortuus est, cf. Vop. Car. 8, 1) a mense Maio usque ad Octobrem constat, cf. Kiepert, Alte Geogr. 137, Rawlinson, The five great monarchies of the ancient eastern world I 29.

Numerianus Cari filius mortuus est ante Sept. 17 a. 284, quo die Diocletianus Augustus creatus est (cf. Chron. pasch. p. 274 C [1]). Cum autem in nummis Alexandrinis eius annus tertius appareat (de Sallet l. l. 89), tempore novi anni (Aug. 29) eius mors Alexandriae nondum nota esse potuit, quamquam potest factum esse, ut nonnullis diebus antea necaretur. Numerianus quamdiu imperaverit accurate non est traditum. Syncellus p. 724 autem habet: Μεθ' ὃν (Carum) ὁ Νουμεριανὸς ὑιὸς αὐτοῦ βασιλεύει λ' μόνας ἡμέρας. Apparet hoc esse falsum. Nam cum Carus mortuus sit ante Aug. 29 a. 283, Numerianus inter finem Augusti et Sept. 17 a. 284, certe plus annum imperio usus est. Suspicor apud Syncelli auctorem ante λ' ἡμέρας excidisse: annum unum. Quod si ponimus, initium imperii Numeriani constituendum est tempus inde a fine mensis Iulii usque ad Aug. 17 a. 283, cum antea viderimus finem interesse inter Aug. extr. et Sept. 17 a. 284. Ad haec autem quadrant numeri a Chronogr. a. 354 de Probo et Caro traditi. Quos si sequimur, ponenda est mors Probi in Sept. 18 a. 282, mors Cari in Iul. 22 a. 283. Deinde Syncelli auxilio usi mortem Numeriani possumus assignare fini Aug. 284. Quod hac ratione viginti fere dies inter Numeriani mor-

---

1) Seeckii opinionem, qui Nov. 17 hoc factum esse vult (Zeitschr. f. Num. XII 128) non probo, cf. Schiller, l. l. II 120, 1.

tem et Diocletiani electionem intercedunt, mirum non est; nam neque scimus quot dies mors Numeriani occultata sit (Vop. Numer. 12: *per plurimos dies*) neque quantum tempus interfuerit inter necem detectam et Diocletianum renuntiatum.

Ipse concedo ea, quae disputavi de Caro et Numeriano, non certis argumentis demonstrata, sed in coniectura esse posita; solum ostendere volui qua quis via profectus possit conari pauca ea conciliare, quae disiecta atque turbata apud auctores invenimus.

Verbo tangam Cari bellum Persicum. Ad cuius tempus constituendum nonnulla elici possunt ex Malal. XII 304 Bonn.: Συνέβη γὰρ τοῦτο γενέσθαι τῷ αὐτῷ Καρίνῳ βασιλεῖ. Μετὰ τὸ συγκροῦσαι τοῖς Πέρσαις καὶ τὰς ἐπάνω ἐνέγκαι καὶ κόψαι ἐξ αὐτῶν ἄπειρον πλῆθος χειμῶνος βαρυτάτου γενομένου ᾔτησαν οἱ Πέρσαι μηνῶν τριῶν ἔνδοσιν γενέσθαι. Καὶ διὰ τὸ ἐπαχθὲς τοῦ χειμῶνος φειδόμενος τοῦ ἰδίου στρατοῦ, ὡς κοπωθέντι, ἐνέδωκε τῶν τριῶν μηνῶν τὴν αἴτησιν τῆς εἰρήνης. Καὶ λαβὼν τὸ ἴδιον πλῆθος ἦλθεν ἐπὶ τὴν λεγομένην χώραν τῶν Κυρηστικῶν, βουλόμενος καὶ τὸν ἴδιον στρατὸν ἀναπαῦσαι καὶ τοὺς πληγάτους θεραπευθῆναι. Cum Carinus numquam Persis bellum intulerit, sed Romae moratus occidentis partes rexerit, hoc loco puto intellegendum esse Carum; eundem errorem nominum confusorum recte invenit apud Synesium Cyren. Gibbon (Hist. of the decline etc. II cap. 12 not. 73 p. 80 ed. Lips.)

Restat, ut constituam tempus mortis Carini. Quod praebet Chronogr. ann. 354 (p. 648) de Carino et Numeriano, recte cadere videtur in Carinum (inde a morte Probi): *ann. II mens. XI d. II,* cum consentiant Euseb. h. eccl. VII 30 fin. Πάλιν δ' αὖ καὶ τούτων οὐδ' ὅλοις τρισὶν ἐνιαυτοῖς διαγενομένων μέτεισι τὰ τῆς ἡγεμονίας εἰς Διοκλητιανόν. Zonar. XII 30 p. 616, 6: Ὁ δὲ τῆς τούτων ἀρχῆς χρόνος οὐ γέγονε καθ' ὁλόκληρον τριετής. Itaque certe Carinus non mortuus est ante autumnum

285; si numerus Chronographi omnino exactus est, et si recte mortem Probi tribuimus Sept. 18, Carinus est interfectus proelio Margensi Aug. 19 a. 285. Itaque neque assentior Gibbonio (l. l. p. 93), qui proelium vere anni 285 factum esse vult, neque Clintonio et Bernhardtio, qui accuratius eius tempus investigari posse negant.

Vita.

Natus sum Aemilius Theodorus Sadée a. 1868 Mai. 26 Coloniae Agrippinae patre Augusto, quem superiore anno morte mihi ereptum esse lugeo, matre Antonia e gente Bleibtreu. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus vere a. 1880 in tertiam classem gymnasii regii Bonnensis receptus sum. Vere a. 1886 maturitatis testimonio instructus universitatem Bonnensem adii, ut studiis philologicis et historicis operam darem. Docuerunt me viri clarissimi Buchholz, Buecheler, Dove, Gothein, R. Kekulé, Lamprecht, I. B. Meyer, Nissen, Ritter, Usener. Buecheleri, Luebberti, Useneri benevolentia mihi licuit seminarii regii philologorum per bis sex menses esse sodalem ordinarium. In seminarium historicum receptus disciplina usus sum Dovii, Nisseni, Ritteri; ad exercitationes historicas me admisit Lamprecht, ad palaeographicas Menzel, ad paedagogicas I. B. Meyer. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratiam habeo maximam. Praecipue vero Nisseno beneficiis in me collatis in perpetuum sum devinctus.

Sententiae controversae.

I. Plotinum non natum esse a. 204 vel 205, mortuum a. 270 (Zeller, G. d. gr. Phil. III 2, 466 et 471), sed vixisse ex a. 203 usque ad finem a. 269 statuo.

II. Zosimum Dexippi Chronico non usum esse recte contendit Mendelssohn (Zos. praef. XXXIII).

III. In oratione Maecenatis (Dio. LII 14—40) describitur non ea rei publicae Romanae forma, quae aut Augusti aut Alexandri Severi temporibus erat, sed qualem esse Dio ipse voluit.

IV. Epistula Wallensteinii (Förster, Briefe W.'s I 111 Nr. 41) data est non Oct. 2 a. 1627, sed sub finem Octobris; cf. Nr. 54—56.

V. Eurip. Andromach. 1002 αἰτήσει tenendum est contra Heimsoethium (stud. crit. ad trag. Graec. p. 106), qui scripsit ᾔτησεν.

VI. Plut. de gen. Socr. p. 582 D: Πρότερόν γε, ἔφη, τοὺς εἰσιόντας οἵτινές εἰσιν ἀποσκεψαμένοις, μᾶλλον δὲ τὸν ξένον ἔοικεν ἡμῖν Ἐπαμεινώνδας ὁδὶ κομίζειν. Post ξένον inserendum est ὃν.

VII. Romanorum mos apophoretorum in conviviis dandorum a Macedonibus originem traxit.

VIII. Quod Biedermann (Der Geschichtsunterricht auf Schulen nach kulturgeschichtlicher Methode) de historia in scholis tractanda sentit proficiscendum esse non a rebus gestis enarrandis, sed ab institutis et moribus depingendis, improbo.